DE CIVITATIBUS LIBERIS,
QUAE FUERUNT IN PROVINCIIS POPULI ROMANI.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXXII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

WALTER HENZE

BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

KONRAD BENJAMIN, DRD. PHIL.
WALTER OPITZ, DRD. PHIL.
GEORG GRONAU, DR. PHIL.

BEROLINI 1892.

APUD W. WEBER.

Berliner Buchdruckerei-Actien-Gesellschaft, Setzerinnen-Schule des Lette-Vereins

OTTONI HIRSCHFELD
ULRICO KOEHLER

SACRUM.

Quicunque ad describendum statum civitatium liberarum accesserunt, eorum nomina contulit Marquardt (St. V. I², p. 73, a. 6); ultimi Marquardt (l. l. I², p. 71 sqq.) et Mommsen (St. R. III, p. 653 sqq.), nuperrime[1]) Mitteis (Reichsrecht u. Volksrecht i. d. östl. Prov. d. Röm. Kais., p. 85—89) de ea re scripserunt. Atque cum optime Mommsen (l. l. p. 663 sqq.) et iura et officia earum civitatium explicuerit, nunc, ne prorsus de liberae cuiuslibet urbis statu ambigeretur, ad componendum catalogum civitatium liberarum accessimus. Saepe enim factum est, ut immunes civitates a liberis secernerentur, sine foedere liberae cum foederatis commiscerentur; itaque de singulis rationibus, unde libertas earum civitatium cognoscatur, praefandum videtur.

I.

Inter liberas civitates, quae vocantur, ei populi versantur, quibus libertas beneficio seu senatus seu populi seu imperatoris Romani aut data aut restituta aut confirmata est — certis legibus circumscripta. Nam aut sua sponte aut belli iure in fidem aut dicionem populi Romani transgressae hae civitates a Romanis liberae esse iubentur. Alia quoque ratione civitates libertatem confirmatam a Romanis sibi servare possunt: nam priusquam in fidem aut dicionem Romanorum veniant, foedere se cum eis inligant, ut iureiurando interposito sub certis condicionibus libertas eis tamquam aeterna servetur. Atque hae (liberae et) foederatae, illae (sine foedere) liberae vocantur.

---

[1]) Hegelmaieri liber (Grundeigent. i. öff. Recht, diss. inaug. Tub.), cum de civitatibus liberis (p. 7 sqq.) nihil novi afferat, haud scio an hoc loco non citandus est.

Voces: 'liber, liberare, libertas', graece: 'ἐλεύθερος, ἐλευθεροῦν, ἐλευθερία' tam variis rationibus a scriptoribus adhibentur, ut cavendum sit, ne omnes, de quarum libertate verba fiant, civitates liberas esse putemus.

Nam primum quidem 'liber populus est is, qui nullius alterius populi potestati est subiectus' (Dig. 49, 15, 7, § 1), ut Carthaginienses, ut Parthi, alii. Hi certe non recensentur inter civitates liberas[1]); neque enim libertas eis a Romanis concessa est.

Regiae quoque potestati 'libertas' opponitur, ut liberantur Graeci anno 558/196 Philippo devicto; 'percensuerat' enim T. Quinctius 'omnis gentes, quae sub dicione Philippi regis fuerant' (Liv. 33, 32, 5/6 = Pol. 18, 46, 5/15); neque tamen Graecorum urbes tum 'liberae civitates', quas Romani vocant, factae sunt, i. e. civitates, quibus sub tutela populi Romani libertas concessa est certis condicionibus circumscripta.

Recte Pergameni Attalo rege mortuo dicunt (Fränkel, Inschr. v. Pergam. I, n. 249, v. 3—5): [— ἐπε]ὶ βασιλεὺς Ἄτταλος φιλομήτωρ καὶ εὐεργέτη[ς μεθισ]τάμενος ἐξ ἀνθρώπων ἀπολέλοιπεν τὴ[μ πατρ]ίδα ἡμῶν ἐλευθέρα[μ]; nam sine regibus erant, nisi forte Romani testamento regis neglecto novum regem eis imponerent (v. 7: δεῖ δὲ ἐπικυρωθῆναι τὴν διαθή[κην] ὑπὸ Ῥωμαίων)[2]); iure Iudaei Archelai regnum abnuentes (Ios. ant. XVII, 9, 4) a Iosepho dicuntur: 'ἐπιθυμοῦντες ἐλευθερίας καὶ ὑπὸ Ῥωμαίων στρατηγῷ τετάχθαι'. Quo fit, ut Ephesii, qui Mithradatis dictis audientes fuerint, rege expulso[3]) se maiorum suorum 'leibertatem' optinuisse glorientur (CIL I, 588; cf. Mommsenum, St. R. III, 726), quamquam ut 'καππαδοκίσαντες — ἐκολάζοντο πικρῶς — μάλιστα — Ἐφέσιοι' (App. Mithr. 61). Nam iugo regis soluti liberos se praedicabant, quamquam sub imperio magistratus Romani. Cavendum igitur est, ne hoc usu verbi libertatis decipiamur.

---

[1]) Nam quidquid Proculus (Dig. l. l.) affert, claudicat, cum vim verbi: ,libertas' confundat cum statu civitatium liberarum, quae vocantur.

[2]) Mommsen, St. R. III, 726, a. 3.

[3]) titulum hoc tempore positum esse, id quod iam ante coniecit, novis argumentis probare studuit Mommsen (Z. f. Num. XV, 213), neque Reinach negat (rev. num. 1888, p. 169—173), qui de reliquis rebus Mommseno non assentitur.

Si quae civitas libera esse iubetur a Romanis, latino sermone 'libera' (Cic. p. Fl. 70), graeco 'ἐλευθέρα' (App. Mithr. 61) vocatur. Atque fit, ut ἐλευθερία et αὐτονομία inter se commisceantur, ut a Strabone (XII, 3, p. 545): (Sinope) αὐτονομηθεῖσα — οὐδὲ διὰ τέλους ἐφύλαξε τὴν ἐλευθερίαν, et a Iosepho (ant. XVII, 9, 4: ἐλευθερίας = bell. II, 2, 3: αὐτονομίας); Aphrodisienses vero, liberi et foederati (Viereck, sermo graecus, p. 5, n. 5), Iuliam Paulam τῶν συναιτίων τῇ πόλει τῆς αὐτονομίας ἀπόγονον ipsi vocant (CIGr 2845). Neque tamen voce: 'αὐτονομία' quicquam aliud significatur nisi singulis oppidis leges suas redditas esse — quibus etiam sub magistratibus populi Romani uti possunt[1]) (Mommsen St. R. III, 726). Itaque cum autonomia non modo liberis, sed etiam aliis civitatibus tribui possit, ex solo autonomiae titulo concludi nequit eas urbes inter civitates liberas, quae vocantur, recensendas esse.[2])

Coniungitur cum libertate immunitas; ita apud Ciceronem (Verr. II, 3, 13, adde II, 2, 166), qui quinque Siciliae civitates liberas et immunes vocat, Achaiae Nero ἐλευθερίαν et ἀνισφορίαν dat (bull. d. corr. hell. 1888, p. 513, v. 14); cf. Paus. VIII, 43, 1.

Libertas immunitasque plenissime concessae parum religiose servari solent; nam haud semel a magistratibus Romanis, qui provinciis praesunt, civitates liberae et immunes pecunias solvere coguntur (Cic. Verr. II, 4, 20; II, 5, 53) aut earum iura violantur (Cic. p. Sest. 56; 84; de pr. cons. 5—7). Huc accedit, quod bellis

---

[1]) Quae sit vis autonomiae apnd Graecos, optime explicuit Bnsolt (J. f. cl. Phil., 7. S. p. 645 sqq.); docuit enim eam initio idem valuisse quod ἐλευθερίαν; postea cum singulae civitates Graecae sese consociarent ducibus Lacedaemoniis, Atheniensibus, aliis, omnia oppida socia ei urbi, quae confoederationi praeerat, parere necesse erat. Neqne tamen ea re eis autonomia adempta est (A. Fränkel, de condic., iure, iurisd. soc. Athen. diss. inaug. Lips. p. 8 sqq.). Singulas res, quibus haec autonomia contineri videtur, composuit Busolt (l. l. p. 658). Sed magis magisque labentibus rebus Graecis autonomia quoque in dies imminuebatur nsqne eo, ut Romani, cnm Graeciam sibi subiungerent, αὐτονομίαν a se Graecis relictam esse sno iure gloriarentur (Mommsen, R. G. II[6], p. 47 et 48); ex omnibus enim rebus, qnibus antonomia continebatur (Busolt, l. l. p. 658), nil restabat, nisi ut suis legibus suisque magistratibus uterentur — sub imperio populi Romani.

[2]) Haec est cansa, cur nullas fere — sic Cuntzi (v. infr.) verba corrigenda sunt — urbes, quae αὐτονόμους se praedicant, Plinius inter liberas afferat (Cuntz, J. f. cl. Phil. 17. S. p. 482 med. et a. 6).

civilibus, praesertim eis, quae extra Italiam gerebantur, duces pecunia egentes lege se impediri nolebant, ne a liberis quoque populis pecuniam exprimerent. Ita Pompeius liberis Achaiae civitatibus (Caes. b. c. III, 3, 2), ita Antonius Asiae liberis populis pecuniam imposuit (App. b. c. V, 6).

Sed primis iam imperatorum temporibus aliquot certe urbes liberae tributa pendere solebant, ut Chius (Ios. ant. XVII, 2, 2), Apollonidea et Magnesia (ad Sipylum sita) anno p. Chr. n. 17 (Tac. ann. II, 47), Byzantium anno 53 (Tac. ann. XII, 62/63). Hae urbes, quo tempore M. Antonius in Asia morabatur (App. b. c. V, 7), liberae fuisse neque quotannis pecuniam solvisse videntur; itaque intra hos temporis fines res mutata esse putanda est. Atque revera Augustum, cum singularum provinciarum statui prospiceret, liberarum quoque civitatium rebus consuluisse nonnulla testimonia extant. Ille enim Galliam, Germaniam, Hispaniam ordinavit, dandis et adimendis libertate (ἐλευθερία) et civitate (πολιτεία) (D. Cass. 54, 25); cum in Oriente moraretur (D. Cass. 51, 2 et 54, 7), liberarum quoque civitatium curam egisse videtur.[1] Tiberium quidem plurimis civitatibus 'veteres' immunitates eripuisse ipsis verbis narrat Suetonius (Tib. 49.)

Iam habemus ab hoc tempore et civitates, quae sola libertate fruebantur, et eas, quibus insuper immunitas erat. Hae autem immunes, illae liberae vocari solent. Talis enim est ratio Plinii, enarrantis singulas civitates, qui in hac quoque re Augusti laterculos secutus[2] liberas civitates et eas, quae immunitate insuper praeditae erant, suis nominibus inter se discernit.[3] Itaque si quae urbs immunis vocatur, haud dubium videtur, quin inter liberas versetur: nam si ei immunitas tribuitur, aut libera iam est aut libertate cum immunitate tum demum donatur. Recte igitur Plinius (n. h. V, 124) Ilienses immunes vocat; nam

[1]) Nam Patris ille libertatem post pugnam Actiacam confirmavit (p. 13), Nicopolin, quam ipse condidit (Paus. VII, 18, 8), libertate insuper donavit (Plin. n. h. IV, 5); Tyro et Sidoni libertatem ademit (D. Cass. 54, 7), Tarsus libera et immunis (App. b. c. V, 7;) ab eo φόρων ἐκουφίσθη ([Luc.] Macr. 21; v. catal. s. v. Tarsus).

[2]) Cuntz, J. f. cl. Phil. 17. S., p. 523.

[3]) Qui quam diligenter urbium singularum status enarraverit (Mommsen, St. R. III, p. 683, a. 4 fin.), hoc loco discerni nequit; ex silentio eius nihil certi concludi licet.

C. Caesar eis ἐλευθερίαν et ἀλειτουργησίαν[1]) confirmaverat (Str. XIII, 1, p. 594). Ac ne Augustus quidem Ilio, cui Romani tamquam cognato[2]) semper favebant et Iuliae gentis originem[3]) tribuebant, libertatem ademisse putandus est.

Iam de foederatis populis verba facienda sunt, atque tenendum est foederatas civitates eas esse, quibus beneficio foederis libertas,[4]) quamquam firmata, tamen certis finibus circumscripta sit.

Itaque hoc loco nil valent foedera a Romanis cum Carthaginiensibus icta (Pol. III, 22 sqq.), nil αἱ πρῶται et αἱ δεύτεραι διαθῆκαι, cum Illyriis devictis factae (App. Ill. 8), aut quod foedus Memnon commemorat (FHG. III, p. 539) aut quod inter sua erga populum Romanum merita recensent Byzantini (Tac. ann. XII, 62). Quomodo inter se distent foedera belli et ea, quibus inligantur populi foederati, optime docent Rhodiorum legati verba (Pol. 31, 7). Ideo enim ille se foedus a Romanis petere dicit, quia: τούτου (scil. τῆς ἐξ ἀρχῆς αἱρέσεως καὶ φιλίας) χρείαν ἔχει νῦν ὁ δῆμος (scil. Rhodiorum), οὐ τῆς διὰ τῶν ὅπλων καὶ στρατιωτῶν συμμαχίας.

Ac saepe fit, ut, cum libertas foedere firmetur, foederatae civitatis status libertas vocetur; nam Athenis, civitati foederatae (Tac. ann. II, 53), 'libertatem' reddidit L. Sulla (Liv. ep. 81), 'liberas' eas vocat Plinius (n. h. IV. 24); Rhodo, urbi foederatae (Pol. 31, 7, 20; App. b. c. IV, 66—70), libertas (ἐλευθερία) adempta (D. Cass. 60, 24) redditur (Tac. ann. XII, 58), Mytilenae foederatae (v. infra catal. s. v.: Mytilene) a Plinio (n. h. V, 139) liberae vocantur. Sed suis nominibus foederatae hae civitates appellantur, graece ἔνσπονδοι, quamquam ἔνσπονδος tituli modo nunquam adhibetur;[5]) foedus autem graece vertitur: σπονδαί (App.

[1]) vis verbi: ἀλειτουργησία fortasse maior est. λειτουργία = publicum munus; ἀλειτουργησία = 'ut omni publico munere solverentur' (Tac. ann. XII, 58) = 'plenissima immunitas' (Dig. 27, 1, 17, § 1).

[2]) Plin. n. h. V, 124: 'unde omnis rerum claritas.'

[3]) Tac. ann. XII, 58.

[4]) libertatem esse, quae foedere firmetur, elucet ex Plinii verbis (ep. VIII, 24, 2): (homines — liberos,) qui ius a natura datum (scil. libertatem) virtute, meritis, amicitia, foedere denique et religione tenuerunt.

[5]) cf. Mommsen, St. R. III, p. 654. Unde licet ambigi, num recte suppletum sit (Mitt. d. Arch. Inst. Ath. XV, p. 157): οἳ ἔν[σπονδοι γε]νόμενοι, praesertim cum vix appareat, quid sibi velint verba: τῶν ἄλλων οἳ ἔνσπονδοι γενόμενοι μετεῖχον et q. s.

b. c. IV, 66—70), ὅρκιον (Pol. VI, 14, 8; Sitz. d. Berl. Ak. 1889, p. 966); sed saepe adhibetur vox: συμμαχία (Pol. 31, 7, 20, quem Livius 45, 25, 10 secutus: 'societas' vertit; Viereck, s. g., p. 42, n. 21, v. 6; p. 45, n. 22, v. 1 et 6.)

Atque inde exoritur magna dubitandi causa; nam quamquam 'societas' idem valet ac 'συμμαχία' (= foedus), tamen de significatu verborum: 'socius' et 'σύμμαχος' ambigitur.

Sociis opponuntur hostes a Cicerone (p. Sest. 57): '(Ptolemaeus) rex, si nondum socius, at non hostis' et a Livio (45, 25, 4): 'ut (Rhodii) nec hostes fierent nec socii permanerent'. Nam ut hostes populi Romani partibus eius omni modo, praecipue bello, adversantur, ita socii res Romanas sequuntur, praesertim in bello gerendo. Recte igitur Graeci verterunt: σύμμαχοι. Neque tamen hanc societatem foedere coniungi oportet, sed sua sponte ei populi partes Romanas sequuntur. Itaque non recte agunt ei[1]), qui vocem: 'σύμμαχοι' idem esse censent ac: 'foederati'; neque enim in verbo: 'σύμμαχος' foederis mentio insit necesse est. Atque sicut libertas civitatium liberarum non ea est, quam suo iure habeant, sed quae a populo Romano permittatur, ita socii quoque populi fiunt non sua voluntate, sed concedente populo Romano. Neque enim, quicunque populus seu rex unquam Romanos adiuvit, socius populi Romani est; sed hi soli, qui appellantur a senatu: 'socii' seu 'socii et amici'. Quo fit, ut formulae locum obtineant verba: 'socius et amicus', atque hoc modo a Cicerone non solum liberi, sed etiam stipendiarii populi vocantur 'socii et amici' (Kuhn, V. d. R. R. II, p. 22/23); quin etiam senatus ipse populos certe non liberos hoc nomine exornat (Viereck, s. g. p. 17, n. 12, v. 17/18 et Mommsen, St. R. III, p. 727, adn. 3). Itaque in verbis: 'socius et amicus' (φίλος καὶ σύμμαχος) ne libertatis quidem mentio inest (Mommsen, St. R. III, p. 724/725.). Sed haec quidem hactenus.

---

[1]) e. g. novissimos affero: Head, h. n., introd. p. LXXVII; Cichorius, Sitz. d. Berl. Akad. 1889, p. 373; Mitteis, Reichsr. u. Volksr. p. 87, a. 2.

II.

Hartmann in ea dissertatione, quam de exilio[1]) scripsit, recte disseruit de iure exilii, quo omnes civitates liberas usas esse constat. Atque ex eius tractatione repetenda videntur, quae ad componendum civitatium liberarum catalogum alicuius momenti sunt.

Ac primum quidem apud Romanos is, qui damnationem capitis antevenire studebat, sua sponte solum mutavit atque in civitatem migravit, cui a Romanis foedere sua iura concessa erant (Pol. 6, 14, 7—8; Hartmann, l. l. p. 1). Neque tamen ita multo post annum 605/149, quo primae quaestiones perpetuae habitae sunt — recte enim videtur Hartmann (l. l. p. 2/3) tempus definivisse — exilium ita mutatum est, ut ipsum poenae locum obtineret. Neque enim exul damnationem capitis effugiebat, sed Roma discedere iudicum sententia coactus exilii poenam subiit (Hartmann, l. l. p. 3). Atque hoc quoque tempore liberae solae civitates exulibus perfugium praebebant (Hartmann, l. l. p. 5—7; 9). Sed ab Augusto anno 12 p. Chr. ius exilii ita mutatum est, ut ipse certa loca praescriberet, quibus liceret exulibus vitam degere (D. Cass. 56, 27, 2—3; Hartmann, l. l. p. 24). Quo facto Augustus, cum certas insulas eligeret, iura civitatium liberarum non respexit;[2]) nam permultis civitatibus liberis, quae non in insulis sitae erant, ius exilii ademit, aliis, quae non erant liberae, Cretae e. g., dedit. Itaque ab anno 12 prorsus non licet ex iure exilii aliquid concludi de libertate civitatis.

Proscriptorum condicionem eandem esse atque exilium Hartmann (l. l. p. 10) dixit ideoque, quocunque proscripti confugerint, eas civitates liberas putandas esse. Neque tamen haec res mihi probatur; nam alia est exulum, alia proscriptorum ratio. Illis enim exilium non poenae fuga, sed poena est (Hartmann, l. l. p. 3), his summum supplicium iniungitur (Mommsen, St. R. II^3,

---

[1]) 'de exilio apud Romanos inde ab initio bellorum civilium usque ad Severi Alexandri principatum' (diss. inaug. Berol.).

[2]) causa, cur insuper Cos, Rhodus, Lesbus, Samus — ita recte, ut videtur, Boissevain (mnemosyne 1885, p. 329), post eum Hartmann (l. l. p. 25) coniecit — iure exilii donarentur, fortasse fuit, quod earum libertati Augustus favebat; cf. Hartmann, l. l. p. 25, a. 1.

p. 726) ideoque, cum omni iure careant, fugae se mandant. Neque enim C. Norbanus, si ullo civili iure usus esset, potuit expostulari a L. Sulla (App. b. c. I, 91) aut comprehendi (Liv. ep. 89); neque L. Scipionem, quem Hartmann (l. l. pag. 10) affert, Orellii onomasticon Tullianum (II, p. 185) — ut videtur — secutus, eundem esse oportet quem Orosius (adv. pag. V, 21) inter proscriptos recenset. Immo vero in scholiis Bobiensibus (ad Cic. p. Sest. 7) de L. Scipionis exilio Massiliensi verba fiunt; ex reliquis auctoribus (Liv. ep. 85, V. Pat. II, 25; Plut. Sull. 28; App. b. c. I, 85) nil evincitur de ea re.

Sed Sullanis et triumvirorum temporibus nullum satis validum subsidium erat fugientibus, quos ei, qui Romae summae rerum praeerant, persequebantur. Itaque proscripti aut asyli atque deorum tutelae, cum iuris praesidio egerent, se committere malebant, ut Samothracae (Corn. Nep. Att. 11) Cabirorum templo, quod certe asyli iure praeditum erat (Liv. 45, 5, 2—4), aut ad hostes eorum, a quibus proscripti erant, confugiebant; neque enim L. Aemilius Paullus aut tamquam exul aut asyli tutela usurus Miletum concessit, sed ut bello M. Bruti partes sequeretur (App. b. c. IV, 37).

Itaque eis urbibus, in quibus proscripti degebant, libertatem concedere nolim, nisi forte aliud libertatis testimonium accedit; atque ex earum urbium numero, quas ex iure exilii liberas esse Hartmann (l. l. p. 9/10) conclusit, Samothrace insula et Miletus urbs eximendae videntur.

Atque Hartmann, cum hoc loco iura exilii et asyli inter se coniungenda putaret, aliam quaestionem movit, quo artius inter se illa iura cohaerere demonstraret; putat enim (l. l. p. 16) nisi liberis civitatibus ius asyli concedi non potuisse. Itaque nunc ad ius asyli accedendum videtur.

Graecorum ius asyli latius effusum fuisse quam Romanorum notum est; nam Graeci templum locumque, qui circum id erat, interdum totam urbem, in qua templum erat, asyli iure praedita esse praedicabant. Sed dum vis Romana valebat per urbes Graecas, plenissimum hoc ius asyli plane evanuit. Quo fit, ut, antequam Romani Asiae res primum ordinaverunt (anno 566/188 sq.), inscriptiones positae sint, quibus toti urbi seu loco ius asyli datur, ut CJGr. 2919; 3717. Ultimum huius rei testimonium extat

anno 561/193 (Viereck, s. g. p. 2, n. 2); nam Romani Teiis petentibus eadem ratione, qua Graeci et Cretenses (Le Bas-Waddington, voy. arch. III, n. 61 sqq.), ἀσυλίαν totius urbis[1]) concesserunt. Post hoc tempus de tota urbe, quae ἄσυλος vocatur, mentio prorsus non fit; sed L. Scipio Magnetibus tantum concessit (Tac. ann. III, 62), 'uti Dianae Leucophrynae perfugium inviolabile foret'. Sed de his rebus satis multa verba facta, satis multa exempla allata sunt ab eis, qui de iure asyli scripserunt.[2])

Neque dubium est, quin is locus seu id templum, quod deorum tutela asylum fugientibus praebeat, sacrum sit. Itaque Hartmann (l. l. p. 16, a. 3) Gai institutiones affert, unde probet provinciale solum sacrum esse nequire ideoque, si qui locus asylus i. e. sacer vocetur, eum in civitate libera positum esse. Nam Gaius (inst. II, 5) solum provinciale ideo, quod sacrum solum nisi auctoritate populi Romani fieri non possit, sacrum esse negat, sed pergit idem (II, 7) tamen illud solum pro sacro haberi posse. Nam sacrum solum in provinciis extet necesse est; quomodo enim templa, quae ante Romanorum tempora dedicata erant, consistere poterant in provinciali solo, si non sacrum esset? Itaque quamquam doctrina iubebantur iurisconsulti dicere nil esse sacrum, quod non ex populi Romani auctoritate consecratum esset, tamen, cum usu sacrum esse provinciale solum intellegerent, locis pseudosacrum, ut ita dicam, statum attribuerunt. Neque quicquam impedit, ne huic loco, qui pro sacro tantum habetur, sicut sacro ius asyli concedatur, i. e. ne pro asylo ille habeatur.

Nil ad hanc rem pertinent Traiani verba (Plin. et Trai. ep. 50 [59]), quae Hartmann (l. l. p. 16) affert; nam C. Plinium Traianus non moveri iubet, quod lex dedicationis non reperiatur. Haec autem lex ideo non extat, quod apud Asiaticos homines omnino non fuit mos dicendi leges dedicationis (Plin. et Trai. ep. 49 [58]). Itaque cum solum peregrinae civitatis Romani dedicandi moris capax non sit, i. e. cum in solo provinciali seu peregrino

---

[1]) fortasse non casu factum est, ut in solo Romanorum decreto adderentur verba: καθὼς καὶ νῦν ἐστιν; nam urbem templo sacram fieri Romani sciebant, ignorabant asyli ius ex templo in totam urbem manans.

[2]) quorum nomina vide in: Pauly, Realencyclop. (I, p. 1948/1949); novissima praebet Stengel (I. v. Müller, H. d. kl. Alt. V, 3, p. 23, a. 3).

hic mos nec fuerit nec sit [1]), Traianus C. Plinium adhortatur, ne fortasse adversus dedicationis legem se facturum putet transferenda aede Magnae Matris.

Itaque refutata ea causa, qua Hartmann probare studuit asyli ius nisi liberis civitatibus esse non potuisse, accedamus ad eas res, unde ille etiam per inductionem (l. l. p. 17) sententiam suam se confirmaturum esse sperat.

Leguntur enim in titulis atque saepe in nummis coniuncta inter se verba: 'αὐτόνομος' et 'ἱερὸς καὶ ἄσυλος'; atque harum urbium catalogum diligenter composuit Hartmann (p. 17, a. 2). Huic non habeo, quod addam, praeter Pompeiopolin, Ciliciae urbem, quae vocatur ἱερὰ καὶ ἄσυλος καὶ αὐτόνομος (b. d. c. h. 1888, p. 427), et Diocaesaream (Head, h. n. p. 677).

Atque et Hartmann (l. l. p. 19) et, qui novissime scripsit de asylis Graecorum, Barth (de Graecorum asylis, p. 5/6) concesserunt [2]) non propria verbi vi has urbes ἱερὰς καὶ ἀσύλους vocari posse, immo vero restricto illo a Tiberio iure [3]) usas esse; neque enim tota urbs, sicut quondam mos fuerat apud Graecos, iure asyli usa esse putanda est. His addam etiam maiore cum vanitate atque gloriandi cupiditate in titulo, qui extat CIGr. 3841 [d] (add.), totum populum sacrum et inviolabilem dici: ὁ ἱερὸς καὶ [ἄσυλ]ος [Α]ἰ[ζανειτῶν] δῆμος. Itaque horum verborum significatum dubium relinquamus.

Ascalo urbs iam sub regibus Syriis autonomia utebatur; nam extat nummus: Ασκαλω . . . . ου Αυτο (Babelon, les rois de Syrie, p. 182, n. 1403), qui Antiochi Gryphi regis imaginem praebet; Laodiceae quoque nummi, regio tempore cusi: 'τῆς ἱερᾶς καὶ αὐτονόμου' inscripti sunt (Head, h. n. p. 660). Alii aliarum urbium nummi, qui aut omni temporis indicio carent aut secundum incertam aerae rationem computantur, regum Syriorum temporibus attribuendi videntur; quibus et ipsis inscripti sunt tituli: Α(υτόνομος) vel Ι(ερός) Α(συλος) Α(υτόνομος). Romani autem, cum Syriae reges regno spoliarent, omnia iura integra esse volebant,

---

[1]) hanc propriam populi Romani consuetudinem fuisse praeter Plinii verba (l. l. 49 [58]) docet Gaius (inst. II, 5).

[2]) qui ante Barthium de asylis Graecorum scripserunt, eos hoc plane effugit, e. g. Jähnischium (de Graecorum asylis, p. 35/36).

[3]) Tac. ann. III, 60—63.

sicut in ordinandis provinciis facere solebant. Itaque, cum omnia urbium privilegia servarent, quae certe sub regibus non ita magna fuerunt, autonomiam quoque eis urbibus reliquerunt, — sed eam, qua antea usi erant sub regibus. Atque haec causa est, cur Syriae, Phoeniciae, Ciliciae al.[1]) urbium libertas nil fere valuisse videatur, cur eae peiore statu usae sint quam civitates liberae (Mommsen, St. R. III, p. 659; 684).

Quae cum ita sint, neque autonomia neque asylia urbium Orientis talis fuit, ut comparari et adaequari possit cum hoc libertatis aut asyli iure, quod habuerant Graecae urbes; neque enim toti urbi, quae se ἱερὰν καὶ ἄσυλον praedicat, nec soli templo plenum ius asyli (Barth, l. l. p. 6) aut a regibus aut a Romanis concessum esse puto. Atque confirmatur haec sententia ea re, quod solae Graecae urbes a Tacito (ann. III, 60—63) nominantur, quarum asylorum copia Tiberius offendebatur, neque ulla earum civitatium,[2]) quae ἱερὰς καὶ ἀσύλους se esse gloriantur, de iuribus suis mittendis (Tac. l. l. 60) cogitasse traditur. Huc accedit, quod Suetonius (Tib. 37), si omnino eius verba respicere volumus, quae ab omnibus, qui de hac re scripserunt, aut neglegi[3]) aut haud ita proprio sensu explicari[4]) aegre fero,[5]) ipsis verbis satis dilucide de omnibus asylis, quae usquam erant, verba facit: 'abolevit (scil. Tiberius) et ius moremque asylorum, quae usquam erant'.

---

[1]) Iudaeae autem urbes, quas Cn. Pompeius ἀφῆκεν ἐλευθέρας (Ios. ant. XIV, 4, 4), ille nisi a Iudaeorum dominatu non liberavit (Ios. bell. I, 7, 7: ἠλευθέρωσεν ἀπ' αὐτῶν [scil. Ἰουδαίων]), easque, cum Syriae proconsuli parere iuberet (Ios. ant. XIV, 4, 4: προσένειμε τῇ ἐπαρχίᾳ; bell. I, 7, 7: κατέταξεν εἰς τὴν Συριακὴν ἐπαρχίαν), suis, non Iudaeorum legibus uti voluit. Ne hae quidem inter liberas, sed inter αὐτονόμους versautur.

[2]) exceptis Sardibus; quo tempore eius urbis titulus positus sit, vide catal. s. v.: Sardes.

[3]) e. g. in: Pauly, Realenc. I, p. 1947.

[4]) e. g. Hartmann, l. l. p. 19, a. 2.

[5]) Suetonii verba cum Taciti haud scio an coniungenda sunt; fortasse enim Taciti verba (l. l.) ita interpretanda sunt, ut non de restricto, sed de abolito iure asyli ipse quoque verba fecisse videatur. Duo illi loci, quos solos ex omnibus de asyli iure scriptis, ubi post annum 22 asyli mentio fit (Plut. mor. p. 828 d; Dig. 21, 1, 17, § 12), excerpsi, fortasse aliter explicandi sunt; Plutarchus enim ex fonte suo omnia exempla hoc loco collata sumpsisse videtur; num similis res de Ulpiani loco (Dig. l. l.) dici possit, dubium est. Sed haec res suam inquisitionem desiderat.

Iam summam huius rei faciamus.

Primum non constat, quae sit vis verborum ἱερὸς καὶ ἄσυλος: asyli ius significari non videtur; deinde autonomia non idem valet, quod libertas. Inde sequitur neque ex vocibus ἱερὸς καὶ ἄσυλος neque ex iure asyli aliquid effici licere de libertate urbium.

III.

Mommsen (St. R. III. p. 706/707) nisi liberis civitatibus permissum fuisse negat, ut suo more menses diesque vocarent; quod quamquam certo demonstrari nequit, tamen ille testimoniis[1]) probare studet. De Tyra urbe (l. l. a. 4), cum ea suam dierum significationem Romanae adiciat, licet dubitari. Itaque cum probabilitatis speciem tantum prae se ferat Mommseni opinio, tamquam probabilia huiusmodi testimonia ad singulas urbes afferam.

IV.

Transeamus nunc ad eas urbes, quae, quamquam liberae vocantur, tamen inter civitates liberas versari non videntur, dico liberas colonias et libera municipia.

Mommsen (St. R. III, p. 793, a. 4; 811, a. 1), cum aliquot urbes eodem tempore modo coloniae, modo liberae esse dicantur, haec urbium iura ita inter se coniungenda putavit, ut has urbes colonias Romanas, sed liberas i. e. peregrino iure utentes esse diceret (p. 793, a. 4). Inde eas 'liberas colonias' vocat; sunt autem hae: Patrae, Curubis, Neapolis, Hippo Diarrhytus.[2])

Atque in disquirenda hac quaestione a Patris exordiendum est; nam de reliquis nil fere scimus.

Augustus, ut tradit Pausanias (VII, 18, 7): ἔδωκε μὲν ἐλευθέροις Ἀχαιῶν μόνοις τοῖς Πατρεῦσιν εἶναι, ἔδωκε δὲ καὶ ἐς τὰ ἄλλα γέρα σφίσιν, ὁπόσα τοῖς ἀποίκοις νέμειν οἱ Ῥωμαῖοι νομίζουσιν. Sed status

[1]) his adde inscriptionem Cyzicenam (M. d. A. I. Ath. 1891, p. 141).

[2]) de Samo v. catal. s. v.: Samus.

civitatis liberae et coloniae Romanae inter se certare videntur; nam ius peregrinum, quo civitas libera utitur, certe non idem est, quo cives Romani utuntur.

De Patrarum libertate nil scimus, nisi quod ex Ciceronis verbis (ad fam. XIII, 19, 2) concludi potest; nam cum C. Maenius exul hic moratus sit, Patrae certe liberae fuere (p. 7); neque tamen de tempore, quo ille in exilium eiectus est, quicquam constat. Sed, cum clientem suum eum vocet M. Cicero, eius aetate ille vixit; certe igitur non ante annum 608/146, quo Achaia libertatem perdidit (Mommsen, R. G. II[8], p. 46), in exilio erat; et fuit ista 'calamitas' iustum exilium. Itaque ex his Ciceronis verbis concludi licet Patras tum fuisse liberam civitatem.

Coloniam Patras factas esse tradit Plinius (n. h. IV, 11), narrat multis verbis Strabo (VIII, 7, p. 387). Utramque iuris formam Patris tribuit Pausanias (l. l.). Sed si Plinium et Strabonem secuti, tamquam eiusdem Augusti aetatis formam reddentes, coloniam Romanam esse Patras censemus, non est, quomodo ipsa Pausaniae verba explicemus: Αὔγουστος ἔδωκεν Ἀχαιῶν μόνοις τοῖς Πατρεῦσιν ἐλευθέροις εἶναι. Nam milites veteranos, qui praemium militiae Patras inhabitandas acceperunt (Strabo l. l.), vix Achaeos Patrenses nominari licet. Huc accedit, quod a Strabone (X, 2, p. 460) commemorantur οἱ ἐν Πάτραις Ῥωμαῖοι, a Pausania (X, 38, 9), per emphasin, ut videtur, 'ὑπ' Ἀχαιῶν — Πατρέων' dicitur.

Itaque inter Achaeos Patrenses et Romanos Patrenses discernendum videtur.

Nam Augustus civibus Patrensibus, qui dispersi per agros parvula adhuc oppida effecerant (Paus. VII, 18, 6), convocatis (Paus. VII, 18, 7) vetera libertatis iura restituisse videtur militesque suos colonos adiecit. (Str. l. l., Plin. l. l.) Quo factum est, ut Patrae et civitas libera essent et colonia Romana. Neque civitatis liberae aut coloniae iura inter se ita certant, ut in unius urbis circuitu coniuncta ferri nequeant. Patrae quidem, et colonia et civitas libera, aut utraque aut neutra tributa solvisse videtur. (Mommsen, St. R. III, 806—810; 682 - 683); duplicis in una urbe iurisdictionis exemplum praebet Heraclea Pontica (Str. VII, 3, p. 542/543). Nam coloni Romani certe non erant sub iurisdictione regis, quem alteri urbis parti praeposuit Antonius.

Quod si ponimus, non est, cur Pausaniae textum mutemus, id quod plerisque editoribus curae fuit; ita enim interpretandum est: Augustus Achaeis Patrensibus libertatem, in reliquas quoque partes (καὶ ἐς τὰ ἄλλα) iura dedit, nempe ea, quae Romani colonis concedere solent.

Mommseni igitur sententiam (St. R. III, 793, a. 4; 811, a. 1) hoc loco non sequendam censeo, atque idem, quod de Patris, etiam de reliquis 'coloniis liberis': Curubi (CIL. VIII, 980; Plin. n. h. V, 24), Neapoli (CIL. VIII, 968; Plin. n. h. V, 24), Hippone Diarrhyto (CIL. VIII, 1206; Head, h. n. p. 742) dicendum erit, quamquam nihil huiusmodi de eis relatum est. Postea hae urbes 'coloniae liberae' vocatae esse videntur. Nam civitas illa Helvetiorum foederata[1]) (Mommsen, inscr. conf. Helvet. 175), quae veteranorum ('colonia emerita') coloniam ab imperatoribus gentis Flaviae accepisse videtur, nomen habet 'colonia pia Flavia constans emerita Helvetiorum foederata'. Neque tamen ullo modo probabile est primum veteranos in coloniam deductos, deinde eis foedere libertatem firmatam esse.[2]) Eodem fere nomine vocatur Ascalo in ea papyro, quam edidit Wilcken (Hermes 19, p. 418): κολωνία Ἀσκάλων, ἡ πιστὴ καὶ ἐλευθέρα. Libera fuit Ascalo Augusti, ut videtur, tempore (Plin. n. h. V, 68); quando coloniam acceperit, nescimus.

Idem statuendum esse videtur de municipiis liberis, quae passim nobis occurrunt in Africa et Hispania.

---

[1]) cf. Cic. p. Balb. 32.

[2]) de civibus Romanis, qui συμπολιτεύονται cum hominibus peregrinis, nuper paulo latius egit Kornemann (de civibus Romanis in prov. imp. consistentibus, diss. inaug. Berol., p. 45; p. 46, a. 1). Utrum suos quaeque pars coloniae liberae magistratus habuerit an coniuncti inter se Romani et peregrini unam effecerint rempublicam, ex eis testimoniis, quae nobis reliqua sunt, diiudicari nequit. Equidem malim censere disiunctas inter se unius urbis partes mox coaluisse, id quod efficiendum videtur ex ipsis vocibus: 'colonia libera' et 'municipium liberum', quae inde a Flaviorum temporibus nobis occurrunt (cf. pag. 16 n. 5 al.); quamquam mirum videtur in titulo a 'colonia Iulia' Neapoli (CIL. VIII, 968) in honorem Kaeri imperatoris posito nomini coloniae non adiectam esse vocem 'libera'. Paulo aliter se habet nummus Hipponis (Head, h. n. p. 742), qui Clodi Albini nomen praebens inscriptus est: 'Hippone libera', non adiecto: 'colonia'. Nam e libertate manavisse videtur ius cudendi nummos, quo coloniae non utebantur.

Civitates liberae in singulas provincias dispositae.

Hispania.

Hispania secundi belli Punici tempore a Romanis subacta et paulo post in provinciae formam redacta, ab Augusto, ut videtur, in tres partes divisa est (Marquardt, St. V. I^2, p. 251—253), quarum nomina sunt: Tarraconensis, Baetica, Lusitania.

Universae Hispaniae Vespasianus imperator ius Latii tribuit (Plin. n. h. III, 30; cf. Marquardt, St. V. I^2, p. 258 et adn. 6); itaque hoc ad singula oppida adnotare supersedeo.

In Lusitania civitates liberae notae non sunt.

Hispania Baetica.

1. Gades.

Post interfectos Cn. et P. Scipiones L. Marcius, primi pili centurio, anno 542/212 (Liv. 25, 37, 2) cum Gaditanis foedus fecit (Cic. p. Balb. 34). Neque tamen ob hoc foedus belli gerendi causa cum quolibet duce Romano factum Gades civitas foederata fuit, i. e. civitas, cui foederis lege libertas firmata est a senatu aut populo Romano; quod cum Gaditani viri publici iuris periti recte perspexissent, legatos Romam miserunt, qui de foedere a senatu postularent. Quod factum est anno 676/78 (Cic. l. l.). Huius foederis mentionem facere videtur Strabo (III, 2, p. 141).

C. Caesar anno 705/49 omnibus Gaditanis civitatem Romanam dedit (D. Cass. 41, 24, 1; Colum. 8. 16, 9); quo fit, ut C. Asinius Pollio (Cic. ad fam. X, 32, 2) anno 711/43 et Strabo (III, 5, p. 169) de Gaditanis equitibus Romanis, Plinius (n. h. IV, 119) de Gadibus oppido civium Romanorum verba faciant. Augustus quoque urbi favit; ea enim in inscriptione (CIL. II, 1313): mun. Aug. Gad., cives Romani Gadibus habitantes a Plinio (l. l.) Augustani vocantur.

2. Astigi vetus.

Liberum oppidum Astigi vetus vocat Plinius (n. h. III, 12). Coloniam Augustam Firmam Astigitanam, quam Plinius eodem loco nominat, non eandem esse atque urbem liberam Astigi vetus recte monet Hübner (CIL. II, p. 201).

3. ' Epora [1])

'foederatorum' (Plin. n. h. III, 10).

4. Ostippo.

Oppidum liberum Ostipponem vocat Plinius (n. h. III, 12). Addit Huebner (CIL. II S. p. 869) se ex magistratu Ostipponensi, decemviro maximo, libertatis testimonium sumere; de hac re vide quae dixi paulo infra (p. 16 s. v. [Cartima]).

5. Singiliabarba.

Singili, antequam Vespasianus Hispaniae Latium dedit (p. 15), liberum[2]) fuit (p. 12 sqq.); nam vocatur (CIL. II, 2025; cf. 2021): 'municipium Flavium lib(erum) Sing(iliense)'.

[Cartima.

Detlefsen (Philol. 30, p. 272), cum in titulo Cartimitano (CIL. II, 1953) decemvir maximus nominetur, hunc magistratum in solis oppidis populo Romano non subditis ferri posse ideoque Cartimam inter liberas civitates recensendam esse putat; accedit, quod desiderantur quattuor e sex civitatibus libertate donatis (Plin. n. h. III, 7); Detlefseni sententiam Huebner (CIL. II S. p. 876) secutus est. Quod quamquam probabile videtur, tamen pro certo poni non licet.]

6. Malaca

'foederatorum' (Plin. n. h. III, 8).

Hispania Tarraconensis.

1. Ebusus

'civitate foederata' (Plin. n. h. III, 76). Detlefsen (Phil. 32, p. 650) offenditur, quod verba: 'civitate foederata' miro modo media interposita sunt inter: 'Ebusus — utraque' et 'angusto freto interfluente'. Neque tamen mira haec dicendi ratio ita rara est apud Plinium; e. g. affero (III, 8): 'Malaca cum fluvio

[1]) Digna, quae afferatur, Detlefseni sententia (Philol. 30, p. 271) est putantis vocem: 'foederatorum' ad 'Ripam' et 'Eporam' oppida referendam et Ripam tertium, quod requiritur, oppidum foederatum esse. De hac coniectura non habeo, quomodo iudicem; nam argumentis nec comprobari nec refutari potest; hoc moneo ne Detlefsenum quidem ipsum facere posse, ut libera sex oppida enucleet (l. l. p. 273).

[2]) De Singiliensium libertate iam recte iudicavit Detlefsen (Phil. 30, p. 271/272).

foederatorum'. Haec est causa, cur Detlefsenum in hac re sequi nolim; ille enim duas illas Pityussarum civitates inter se foedere coniunctas putat; accedit, quod hic usus vocis 'foederatus', quae termini technici vim habet, a Plinii genere dicendi abhorret totaque res aliena est ab exili scientia, qua ille de talibus rebus uti solet.

2. Bocchi.

Bocchorum oppidum in Baleari insula maiore situm foederatum fuisse dicit Plinius (n. h. III, 77).

3. Saguntum.

Foedus inter Romanos et Saguntinos iam secundi belli Punici temporibus factum esse (Marquardt, St. V. I², p. 251, a. 5) ex Polybii verbis (3, 30, 1/3), id quod Gilbert (Rom und Karthago, p. 152) vult, non efficiendum videtur. Haec enim sunt Polybii verba: Ζακανθαῖοι. . ἐδεδώκεισαν αὑτοὺς εἰς τὴν τῶν Ῥωμαίων πίστιν. Saguntini in fidem Romanam se dederant — de vi vocis: πίστις vide quae Polybius ipse (20, 9, 12) dixit —, eo consilio, ne quid mali ipsis accideret a Carthaginiensibus. Voce vero: 'σύμμαχος', qua potissimum Gilbert (l. l. p. 153 sqq.) nititur, non semper foedus significari monui p. 6, Saguntinos Romani ipsi foederatos non esse dicunt (App. Ib. 11: λέγοντες οὐ συμμάχους αὐτοὺς (scil. Saguntinos) ἐν ταῖς συνθήκαις σφῶν ἀναγεγράφθαι). Ἐλευθερία et αὐτονομία (App. Ib. 7; Liv. 21, 2, 7), siquidem Saguntinis in foedere Hasdrubalis ipsis verbis firmata est, — neque enim Polybius eius rei mentionem facit — eadem erat, quam Romani Philippo devicto Graecis concesserunt (p. 2), scilicet, ut Saguntini a Carthaginiensibus liberi essent. Quam ob causam non iam inter civitates liberas, quae vocantur, recensendi sunt Saguntini.

Anno 698/56 Saguntum foederatum vocat Cicero (p. Balb. 23; 50/51); Augusti aetate[1]) oppidum civium Romanorum erat (Plin. n. h. III, 20).

4. Tarraco.

Tarraconem anno 644/110, quo C. Cato e lege Mamilia in exilium eiectus est, si non foederatam, at certe liberam fuisse evincitur ex Ciceronis verbis (p. Balb. 28; Brut. 128); itaque

[1]) p. 4 adn. 2.

contra Hübneri dubitationes (Hermes I, p. 104 = Röm. Herrsch. in West-Eur. p. 190) Tarraco inter civitates foederatas ponenda videtur, quamquam ambigi licet, num iam eo tempore, quo Mommsen (R. G. I[8], p. 683) vult, foedus initum sit.

Colonia facta est Tarraco aut a C. Caesare aut ex eius actis a triumviris aut a C. Octaviano (ante annum 727/27); nam vocatur (CIL. II, 4274; 4071; 4536 sqq.): Col(onia) I(ulia) V(ictrix) T(riumphalis) T(arraco); de explicandis signis C. I. V. T. T. vide ea, quae explicuit Hübner (Hermes I, p. 97—100; repetivit idem R. H. i. W. Eur. p. 186—189). Tempus conditae coloniae Hübner (Hermes I, p. 100 sqq. = R. H. i. W. Eur. p. 188 sqq.) definire conatus est; sed obversantur cognomina: 'Victrix' et 'Triumphalis', ne ea, quae ille conclusit, satis certa videantur. Colonia vocatur a Plinio (n. h. III, 21), aliis.

5. Tarraca[1])

'foederatos Tarracenses' (Plin. n. h. III, 24).

Gallia.

Gallia Narbonensis.

Galliae ea pars, quae Narbonensis postea dicta est, a Romanis non ita multo post annum 633/121 in provinciae formam redacta est (Mommsen, R. G. II[8], p. 163).

Civitates foederatae sunt hae:

1. Massilia.

Massilia cum Romanis foedere coniuncta erat (Cic. p. Balb. 23; 50); quod quo tempore factum sit, nescimus; nam dubium est, num Iustino (43, 5, 10) fides habenda sit (O. Hirschfeld, gall. Stud. I, p. 7, a. 1), qui Romanos, quo tempore Galli Romam ceperant, eum Massiliensibus aequum foedus icisse narrat. C. Caesar Massiliensibus, cum Cn. Pompei partes secuti acriter sibi restitissent, omnem fere terram ademit, libertatem reliquit (D. Cass. 41, 25; al.).

Libertatis eorum condicionem describit Strabo (IV, 1, p. 180/181); foederatos eos vocat Plinius (n. h. III, 34); Cornelius Sulla, cum quasi exulis loco haberetur, Massiliensium moenibus coerceri anno 58 iussus est (Tac. ann. 13, 47).

---

[1]) Tarraga: Ptol. II, 6, 66.

Qui viri Massiliam in exilium abierint, cognoscas ex Hartmanno (de exilio, p. 9, a. 2).

Massiliensium rempublicam postea Romanorum more rectam esse, id quod evincitur ex inscriptionibus (CIL. V, 7914 et XII, 410), monuit O. Hirschfeld (Gall. Stud. I, p. 16 et CIL. XII, p. 55): sed num revera colonia Romana facta sit, dubium est.

[Avennio.

Eius orationis, quam Cicero habuit pro Balbo, omnes praeter unum codices paragrapho 50 aut: 'Avennensem' aut 'Aveniensem foederatum' exhibent (Cicero ed. C. F. W. Müller, II, 3, p. LII). Itaque de homine Avennione orto cogitandum videtur. Sed fides codicum minuitur ea re, quod lacunam ante: 'Avennensem' esse apparet; nam deest nomen eius viri, qui civitate Romana donatus est.

Atque Avennio Massiliensibus inservisse videtur (CIL. XII, p. 130), neque habemus, cur eis ante annum 705/49 (p. 18) ullam urbem ademptam eamque insuper ad foedus faciendum arcessitam esse putemus. Itaque praeter archetypi locum mutilatum etiam corruptela verborum videtur orta esse. Aliam explicandi rationem eamque probabiliorem mecum communicavit O. Hirschfeld; putat enim fieri potuisse, ut ille vir, cum oriundus esset ex Avennione, loco tum Massiliae attributo, Massiliensis civis ascitus haud iniuria Avennensis foederatus a Cicerone vocaretur.

Quod quoquo modo se habet, Avennio ipsa in civitatium foederatarum numero habenda non videtur.]

2. Vocontii.

Vocontios foederatos esse dicit Plinius (n. h. III, 37; VII, 78). Libertatis mentio fit a Strabone (IV, 6, p. 203); neque tamen propter eius verba Vocontii sicut Volcae Arecomisci (Str. IV, 1, p. 186/187; CIL. XII, p. 381) Latino iure usi esse putandi sunt.

Foedus factum est post tempora belli Sertoriani, aut a Cn. Pompeio aut fortasse a C. Caesare (O. Hirschfeld, gall. Stud. I, p. 22/24; CIL. XII, p. 160).

Tres Galliae.

Galliam praeter Narbonensem provinciam C. Caesar intra annos 696/58 et 703/51 subegit, Augustus in tres partes divisit: Aquitaniam, Lugdunensem, Belgicam (Marquardt, St. V. I², p. 262—267; Mommsen, R. G. V³. p. 76 sqq). Belgicae provinciae adnectendae videntur duae Germaniae; quae quomodo cum Gallia Belgica cohaereant, videas apud O. Hirschfeldium (comm. i. h. Th. Mommseni, p. 442; 445/446) et Mommsenum (R. G, V³, p. 107/108).

Aquitania.

1. Vellavi.

Vellavi, Arvernis, quibus attributi erant (Caes. b. G. VII, 75, 2; Str. IV, 2, p. 190), adempti, liberi sunt (Str. l. l.: τάττονται καθ' ἑαυτούς).

Adde quod in margine codicis Leidensis (F) Pliniani (ad n. h. IV, 108/109) adscriptum est: 'vellavi liberi' teste Detlefseno (in: Bursians Jahresber., 1877, III, p. 314).

Liberi mansisse videntur, quantum nos scimus, usque ad Deci Traiani imperatoris aetatem; nam eius uxori titulum posuit: 'civitas Vellavorum libera' (Henzen 5221).

2. Arverni.

3. Bituriges-Cubi.

4. Bituriges-Vivisci.

5. Santoni

'liberi' (Plin. n. h. IV, 108/109).

Lugdunensis.

1. Secusiavi.

Secusiavi, Aeduis attributi (Caes. b. G. VII, 75, 2), postea liberi sunt (Plin. n. h. IV, 107).

2. Aedui.

Aeduis, qui fratres consanguineique (συγγενεῖς: Str. IV, 3, p. 192) a senatu appellati sunt (Caes. b. G. I, 33, 2; Cic. ad Att. I, 19, 2), foedere cum Romanis coniuncti erant (Plin. n. h. IV, 107; Tac. ann. XI, 25).

Tacitus (l. l.) Aeduos primos e Gallia ius senatorum in urbe adeptos esse refert; neque tamen hoc cum Marquardtio (St. V.

I[2], p. 279 et adn. 4) ita accipiendum videtur, ut a Claudio omnibus Aeduis civitatem Romanam datam, sed eis, qui iam civitate Romana utebantur, ius senatorum additum esse putemus (Nipperdey, ad Tac. l. l.); neque enim de civitate Aeduorum, sed de iure senatorio eorum, qui inter primores suae quisque gentis (Tac. ann. XI, 23) iam antea civitatem assecuti erant, Claudius imperator verba facit (Bruns, f. iur.[5], p. 177 sqq. [oratio Claudii] II, l. 24, 28, 29, al.).

3. Turoni sive Turones[1])

'civitas Turonorum libera' (comptes rendues de l'acad. des inscr. 1877, p. 34).

Is, qui hanc inscriptionem edidit, ex fragmentis tituli: SINEPOTI haud improbabiliter conclusit hunc titulum Britannico, Claudii imperatoris filio, Drusi (Germanici) nepoti positum esse.

4. Carnuteni

'foederati' (Plin. n. h. IV, 107).

5. Meldi

'liberi' (Plin n. h. IV, 107).

Belgica (cum duabus Germaniis).

1. Atrebates.

C. Caesar pro meritis Commii Atrebatis eius gentem 'immunem esse iusserat, iura legesque reddiderat' eis (Caes. b. G. VII, 76, 1). Augusti[2]) aetate iam non liberi fuerunt Atrebates, siquidem ex Plinii silentio aliquid effici licet.[3])

2. Nervi

'liberi' (Plin. n. h. IV, 106).

3. Suessiones.

Suessiones, Remis attributi (Hirt. b. G. VIII, 6, 2), postea liberi sunt (Plin. n. h. IV, 106).

4. Remi.

Foederati vocantur Remi et a Plinio (n. h. IV, 106) et in titulis (CIL. X, 1705; XII, 1855, 1869). Ex his duo (XII, 1855 et 1869), qui ad eundem virum referendi videntur, Traiani imperatoris aetate positi sunt.

---

[1]) cf. Zangemeister in: Neue Heidelberg. Jahrb. II, p. 13, n. 32.

[2]) p. 4 adn. 2. [3]) p. 4 adn. 3.

5. Treveri.

'Treveri liberi antea' (Plin. n. h. IV, 106). Quo tempore Treveri libertatem amiserint, nescimus; sed si Plinium in hac quoque provincia describenda Augusti laterculos secutum esse censemus, in his vix scriptum inveniebat: 'Treveri liberi antea', sed: 'Treveri liberi', nisi forte libertatis quoque notam a Plinio additam esse censeas. Ipse igitur Plinius vocem: 'antea' adiecisse videtur; inde efficitur Treveros intra Augusti aetatem et eum annum, quo totum opus editum est, libertatem amisisse. Quod post sedatam Classici Tutorisque seditionem factum esse recte coniecisse videtur Zumpt (comm. epigr. I, p. 385, a. 1), quamquam ea, quae eodem loco de Lingonibus dicit, parum probantur (v. infra, p. 22, n. 8) Confirmatur haec sententia ea re, quod apud Tacitum (hist. IV, 62 et 72) et in titulo (Brambach CIRh. 770) caput Treverorum vocatur: 'colonia Augusta Treverorum'.

6. Silvanectes.[1])

7. Leuci

'liberi' (Plin. n. h. IV, 106).

8. Lingones.

Lingonibus foederatis (Plin. n. h. IV, 106) universis civitatem Romanam dedit Otho imperator (Tac. hist. I, 78); sed hoc irritum factum esse videtur, nisi nomen gentis in textu Taciti (l. l.) corruptum esse cum Heraeo (in ed. sua ad h. l.) censere mavis; nam postea a Tacito (hist. IV, 67—69) foedus Lingonum commemoratur ea ratione, ut anno 70 id valuisse putandum sit.

9. Helvetii.

Helvetios foedere cum Romanis coniunctos esse narrat Cicero (p. Balb. 32). Caput eorum, Aventicum, ab uno ex imperatoribus gentis Flaviae coloniam accepit ideoque vocatur: 'colonia pia Flavia constans emerita [Helv]etio[r]um foederata' (Mommsen, inscr. conf. Helv. n. 175); cf. p. 12 sqq.

---

[1]) codicum lectionem: 'Ulmanectes' correxit Zangemeister (N. Heid. Jahrb. II. p. 27).

Gallia cisalpina.

Gallia cisalpina a L. Sulla provinciae formam accepisse videtur (Mommsen, R. G. II⁸, p. 354/355), anno 712/42 provincia esse desiit (Mommsen, CIL. I, p. 118; cf. etiam St. R. II³, p. 239, a. 1). Quo tempore et cispadani et transpadani Latinitatem et civitatem Romanam consecuti sint, legas apud Mommsenum (CIL. I, p. 118).

1. Ravenna.

Ravennates foederatos vocat Cicero (p. Balb. 50).

2. Genua.

Genuates anno 637/117, cum de suis Vituriorumque discordiis Romanos arbitros crearent, neque eis subiectos fuisse neque Latino iure usos esse Mommsen (CIL. I, p. 73) recte intellexit. Itaque eos ille 'simpliciter foederatos' fuisse dicit; quod quamquam pro certo demonstrari nequit, tamen haud improbabile videtur Genuatibus tum a Romanis libertatem suaque iura — seu foedere seu senatusconsulto — concessa fuisse.

3. Insubres.

4. Cenomani.

Foedera cum Insubribus et Cenomanis extare narrat Cicero (p. Balb. 32). Utrum post civitatem anno 705/49 transpadanis Gallis datam (D. Cass. 41, 36, 3; CIL. I, n. 205) Insubres et Cenomani cives Romani facti sint an foederati remanserint, nescimus.

Sicilia.

Siciliae altera pars anno 513/241, altera anno 544/210 Romanorum facta est (Marquardt, St. V. I², p. 242); civitatium Sicularum status usque ad Ciceronis aetatem, qui de eis in Verrinis permulta narrat, mutatus esse non videtur.

De statu Siciliae, qui fuit inde ab ultimis C. Caesaris annis, plane in diversas sententias discedunt viri docti, qui de ea re scripserunt: Mommsen (CIL. X, p. 713 sqq.), Beloch (D. Bevölkerung d. griech.-röm. Welt, p. 325 sqq.), Cuntz (de Aug. Plinii geogr. auct., diss. inaug. Bonn., p. 30 sqq.).

Atque in tali discrepantia virorum doctorum, cum de hac re vexatissima nihil novi afferre sciam, Cuntzi sententiam,

quae ex tribus illis propositis maxime mihi probatur, sequendam censui, quamquam ne hac quidem omnes offensiones removentur.

Ita enim iudicat Cuntz:

Ciceronis verba (Cic. ad. Att. XIV, 12, 1), quae sunt de Latinitate Siculis a Caesare data, non ad omnes Siculos Latii iure donatos[1]) spectant; sed ea lege, quam M. Antonius promulgavit ex actis Caesaris (Cic. l. l.), omnibus Siculis civitas Romana data est. Ad eandem rem referenda sunt verba Diodori (XIII, 35, 2/3; cf. XVI, 70, 6), qui dicit de Dioclis legibus in Siciliae oppidis non ante civitatem omnibus Siculis datam abolitis. Iam, cum Antoni leges rescissae essent (Cic. Phil. 12, 12; 13, 5), Caesar filius post confectum bellum Siculum statum Siciliae parum iure defensum mutavit, praesertim cum pleraeque Siciliae civitates eo bello Sex. Pompei partes secutae essent. Hoc modo pristinum statum, qui fuit ante Antonii legem, restitutum esse haud improbabilis est sententia.

Quod si ita se habet, non est, cur cum Mommseno (CIL. X, l. l.) in hac parte Plinio fidem detrahamus.

Iam ad singulas civitates liberas accedamus:

1. Messana.

Messana, foederata civitas (Cic. Verr. II, 3, 13; 4, 26; p. Balbo 51), Augusti tempore oppidum civium Romanorum erat (Plin. n. h. III, 88).

2. Tauromenium.

Tauromenium, civitas foederata (Cic. Verr. II, 2, 160; 3, 13), colonia facta est (Plin. n. h. III, 88) aut anno 718/36 (Cuntz, l.l. p. 35) aut anno 733/21 (Mommsen, Röm. Forsch. II, p. 549, a. 1).

3. Neaetum.

Neaetum, civitas foederata (Cic. Verr. II, 5, 56; 5, 133), Augusti aetate Latino iure utebatur (Plin. n. h. III, 91).

4. Centuripae.

Centuripae, civitas libera et immunis (Cic. Verr. II, 2, 166; 3, 13), Latini iuris oppidum erat Augusti aetate (Plin. n. h. III, 91).

---

[1]) haec enim est Mommseni sententia (R. G. III^{6}, p. 507).

5. Halaesa.

Halaesa, civitas libera et immunis (Cic. Verr. II, 2, 166; 3, 13; Diod. XIV, 16, 3), oppidum stipendiarium erat ineuntibus Augusti temporibus (Plin. n. h. III, 91), post annum 752/2 ab Augusto municipii ius accepit (CIL. X, 7458).

6. Panormus.

Panormus, civitas libera et immunis (Cic. Verr. II, 3, 13), ineunte Augusti aetate stipendiarium oppidum erat (Plin. n. h. III, 90); ab Augusto ea colonia facta est (CIL. X, 7279; Str. VI, 2, p. 272; cf. Cuntz, l. l. p. 38); neque enim contra haec testimonia quicquam valent verba Belochii (l. l. p. 325 et adn. 4) negantis aut ex Strabonis fide aut ex titulo: 'col. Aug. Panorm.' concludi licere de tempore deductae coloniae Augustae Panormitanae.

8. Segesta.

Segesta, civitas libera et immunis (Cic. Verr. II, 2, 166; 3, 13), Augusti aetate Latini iuris erat. (Plin. n. h. III, 91).

8. Halicyae.

Halicyae, civitas libera et immunis (Cic. Verr. II, 2, 166; 3,13), Augusti aetate oppidum stipendiarium erat (Plin. n. h. III, 91).

Illyricum.

Illyricum inde ab anno 525/229 compluribus bellis subactum (Mommsen, R. G. V[3], p. 182) ab Augusto in duas partes divisum est, Pannoniam et eas regiones, quae paulo post Dalmatia vocatae sunt (Mommsen, R. G. V[3], p. 183/184).

Dalmatia.

1. Iapydes.

De Iapydum foedere verba facit Cicero (p. Balb. 32) anno 698/56. Neque est, cur miremur foedere cum Romanis coniunctos esse Iapydes, de quibus iam anno 625/129 triumphatum est (CIL. I, p. 459). Nam saepe apud Romanos de populis vix devictis, nedum plane domitis triumphatum esse notum est; de hoc triumpho id ipsum monuit Zippel (Röm. Herrsch. i. Ill., p. 137). Videntur igitur Romani cum his populis barbaris ea lege foedera fecisse, ut, cum eis libertatem foedere firmarent, ipsi tuti essent ab eorum incursionibus.

2. Issa.

Primo bello Illyrico Issa, quae a Romanis petiverat, ut se ab Ardiaeis vindicarent (D. Cass. fr. 47, 2: Melber), ab eis liberata est. Zippelii sententia (R. H. i. Ill. p. 47), qui de foedere tum inter Romanos et Issenses facto cogitat, nulla ratione comprobatur; nam et Polybii (II, 11, 12) et Appiani (Ill. 7, 1) verba, quibus Zippel nititur, plane in contrariam partem abeunt. Neque enim in voce Appiani: 'κατέφυγε' foederis mentio reperiri potest neque: 'προσδέχεσθαι εἰς πίστιν' (Pol. l. l.) idem valet ac foedus facere.[1]) Sed cum Romanorum tutelae se commiserint, ab Ardiaeis liberati esse videntur hoc bello (cf. Mommsen, CIL. III, p. 393); anno 587/167 eis libertas et immunitas concessae sunt a populo Romano (Liv. 45, 26, 12). Itaque ab hoc tempore Issa in civitatium liberarum numero habenda est. Augusti[2]) temporibus iam civium Romanorum erat (Plin. n. h. III, 152).

3. Daorsei.

Daorseis praeter libertatem Romani anno 587/167 immunitatem concesserunt (Liv. 45, 26, 14).

4. Risinium.

5. Olcinium.

Risinium et Olcinium oppida libera et immunia esse iussa sunt anno 587/167 (Liv. 45, 26, 13); Augusti[2]) aetate iam oppida civium Romanorum erant (Plin. n. h. III, 144).

Moesia.

Moesia, quo anno provincia Romana facta sit, post Marquardtium (St. V. I², p. 302) nuper tractavit Domaszewski (Neue Heidelb. Jahrb. I, p. 193 sqq.).

1. Tyra.

De eo libertatis testimonio, quod Mommsen (St. R. III, p. 707, a. 4) proposuit, videas quae dixi p. 12.

Macedonia.

Macedonia et urbes Graecae, quae Thraciae orae affixae sunt, anno 608/146 in provinciae formam redactae sunt (Mommsen, R. G. II⁸, p. 41, Marquardt, St. V. I², p. 312/313; Mommsen, R. G. V³, p. 280).

[1]) de vi vocis: πίστις cf. Polybii ipsius verba: XX, 9, 12. [2]) p. 4 adn. 2.

Illyriae inferior pars, quae est a Drilone usque ad Aoum flumen, Macedoniae provinciae adiecta est (Mommsen, R. G. II[8], p. 41; V[3], p. 274, v. tabulam I, adiectam CIL. III, 2).

Macedones Illyriosque ideo, quod deiectis Perseo Gentioque regibus liberi facti sunt (Liv. 45, 26, 12; 29, 4), non inter civitates liberas, quae vocantur, versari monui p. 2.

1. Dyrrhachium.

Libertas, qua iam utebantur Dyrrhachini, antequam Romani eas regiones occupaverunt, eis anno 587/167 a Romanis firmata esse videtur; nam steterant a partibus populi Romani (Liv. 42, 48, 8; 45, 43, 10). Iniuria Marquardt (St V. I[2], p. 296 et adn. 5) foedus inter Romanos et Dyrrhachinos factum esse dicit; nam et Polybius (II, 11, 6) et Appianus (Ill. 7) de amicitia sola verba faciunt, immo Appianus (l. 1) Romanos dicentes facit Dyrrhachinos ἤδη Ῥωμαίων ὑπηκόους εἶναι.

Libera civitas vocatur anno 696/58 (Cic. ad fam. XIV, 1, 7).

Colonia facta est anno 724/30 (D. Cass. 51, 4); quocum consentiunt Plinius (n. h. III, 145) et titulus (CIL. III, 611).

2. Apollonia.

Post devictam Teutam, Illyriae reginam, Apollonia anno 526/228 libera esse iussa (App. Ill. 8) postea libertate privata esse putanda est; nam refert Nicolaus Damascenus (FHG. III, p. 436) C. Octavianum, cum ante patris caedem ibi moratus esset, post susceptum imperium urbi libertatem et immunitatem dedisse.

Foedus inter Romanos et Apolloniatas non ictum esse monui (p. 27, n. 1) contra Marquardtii (St V. I[2], p. 296, a. 5) sententiam.

3. Amantia.

De Amantiae situ, quam Plinius (n. h. IV, 35) liberam vocat, ambigitur; Cuntzo (J. f. cl. Phil. 17. S p. 510, a 6) accedere nolim; quam enim ille statuit Amantiam in Orestide sitam, eam omnino unquam extitisse nego. Nam Ptolemaeus (III, 12, 3/4) Byllim (coloniam Bullidensem: Plin. l. l.) Elimaeae, Amantiam Orestidis esse dicit; neque tamen minus Byllis ab Elimaeorum quam Amantia[1]) ab Orestarum finibus abest. Itaque,

[1]) hanc Amantiam ab ea, quam Ptolemaeus (III, 12, 19) affert, non diversam esse recte iam perspexit C. Müller (ad Ptol. III, 12, 4).

si Ptolemaeum (l. 1) de Byllide urbe satis nota, quae tunc erat colonia Bullidensis, verba facere putabimus, id quod nemo improbabit, non erit, cur propter Ptolemaei verba alteram Amantiam plane ignotam statuamus. Immo vero Plinius, cum geographicum ordinem non sequeretur, utrasque urbes meliore iure utentes, et colonias et civitates liberas eiusdem conventus Macedonici, hoc loco immiscuit[1]). Macedoniae autem urbem Amantiam esse docet descriptio finium Macedoniae provinciae, quam Mommsen (R. G. V³, p. 274) praebet.

Augusti[2]) igitur aetate Amantia civitas libera erat (Plin. l. l.).

4. Taulantii.

Romani praeter libertatem, quam omnibus Illyriis Gentio rege expulso dederunt, Taulantiis immunitatem concesserunt anno 567/187 (Liv. 45, 26, 12).

5. Dassaretae

'libera gens' (Plin. n. h. IV, 3).

6. Pirustae.

Pirustae Dassaretis vicini sunt ideoque a Livio (45, 26, 12) Pirustae Dassaretiorum vocari videntur, nisi forte eidem sunt, quos Plinius (n. h. IV, 3) Dassaretas, liberam gentem, vocat (p. 28 n. 5). Pirustis praeter libertatem Romani anno 587/167 immunitatem dederunt (Liv. l. l.).

7. Macedoniae pars superior seu libera.

Orestis, cum a Philippo rege defecissent, libertas confirmata est a Romanis anno 558/196 (Pol. 18, 47, 6 = Liv. 33, 34, 6); ab illo tempore ei liberi remansisse videntur. Liberi vocantur a Cicerone (de har. resp. 35) et a Plinio (n. h. IV, 35).

Orestas et gentes vicinas, quae Elimaeam, Lyncestin, Pelagoniam incolunt, 'τὴν ἄνω Μακεδονίαν', a posteris liberam Macedoniam appellatas esse dicit Strabo (VII, 7, p. 326); itaque hae quoque libertate usae esse videntur.

Marquardt (St. V. I², p. 320, a. 1) Orestas, Scotussaeos, Amantinos, quos eodem fere loco Plinius (n. h. IV, 35) affert, eos esse putat, quos Caesar (b c. III, 34, 4) Macedoniae partem

[1]) Byllidem non suo loco a Plinio allatam esse Cuntz ipse concedit (l. l. p. 510, a. 4).

[2]) p. 4 adn. 2.

liberam vocat. Sed Plinium ordinem geographicum non sequi constat; Amantini[1]) et Scotussaei[2]) non ita vicini esse videntur eis gentibus, quas Strabo (l. l.) affert; itaque in Strabonis verbis potius acquiescamus, quocum optime convenit Cicero (de har. resp. 35), atque Macedoniae liberam partem, quae sub uno principe fuisse videtur (Caes. l. l.), Elimaeos, Orestas, Lyncestas, Pelagonios incolere putemus.

8. Thessalia.

Thessali anno 557/197 Philippo devicto liberati (Pol. 18, 46, 5 = Liv. 33, 32, 5), num inde ab hoc anno, etiam post Graeciam anno 608/146 captam, libertatem retinuerint, incertum est; sed probabile fit ex Ciceronis verbis (in Pis. 37). Hoc enim loco Cicero de iniuriis civitatibus liberis a Pisone illatis conqueritur; nam omnes populos liberos lege Iulia dicioni eius exemptos ille suo arbitrio subiecit: 'omnis Achaia,[3]) Thessalia, Athenae,[4]) cuncta Graecia'. Itaque annis 697/57 et 698/56 Thessalia libera fuisse videtur.

C. Caesar igitur post pugnam Pharsalicam tantum confirmavit eis libertatem (App. b. c. II, 88; Plut. Caes. 48).

Ea de causa, quod Plinius (n. h. IV, 29), qui Augusti[5]) aetatis statum reddere videtur, Pharsalum civitatem liberam appellat, non vocat liberos Thessalos, Mommsen (R. G. V³, 273 et adn. 2) probare studuit Thessalis ab Augusto libertatem ereptam esse. Sed Pharsalus anno 557/197 a Thessalia segregata (Pol. 18, 47, 7 = Liv. 33, 34, 7; cf.: Weissenborn ad Liv. l. l.), non Thessaliae pars esse videtur, sed, sicut Amphissa, a Locris Ozolis separata (Paus. X, 38, 4), nominatim a Plinio (n. h. IV, 7/8) affertur; ex Plinii autem silentio nihil concludendum videtur (p. 4 a 3).

Ex Suetonii vero loco (Tib. 8) nil certi evinci licet; nam contraria quoque Mommseni sententiae res effici potest, nempe Augustum Tiberio Thessalorum causam agente libertatem eis concessisse. Ne Plutarchi quidem verba (praec. ger. reip. 19)

---

[1]) p. 27, n. 3.
[2]) p. 31, n. 12.
[3]) Caes. b. c. III, 3, 2: liberis Achaiae populis.
[4]) p 35, n. 15.
[5]) p. 4, adn. 2.

quicquam certi praebent; nam hoc loco verba fiunt de cive in periculis civitatis optime merito; qui utrum patriae saluti fuerit necne, haud refertur.

Itaque haec res incerta manet; sed accedit, quod Hadriano imperatore Thessali liberi fuerunt; qua de causa verisimilius videtur Thessalos usque ad hoc tempus libertatem non amisisse. Nam ex titulo (CIL. VIII, 7059) P. Pactumei, legati divi Hadriani Athenis, Thespiis, Plataeis, item in Thessalia, efficiendum est Thessalos Hadriani temporibus libertate usos esse. Nam recte Mommsen (R. G. V³, p. 239, a. 1) ex hac inscriptione conclusit de Plataearum libertate; neque tamen voce: 'item' Thessali ab Atheniensibus, Thespiensibus, Plataeensibus segregantur, sed arte eis adnectuntur (Mommsen, St. R. II³, p. 857, a. 2). Hadriani igitur tempore Thessali liberi fuerunt.

9. Pharsalus.

Pharsalus Aetolis in foederis sui formulam expostulantibus (Pol. 18, 47, 7 = Liv. 33, 34, 7) non concessa (cf.: Weissenborn ad Liv. l. l.) libera fuisse videtur; nam liberam eam vocat Plinius (n. h. IV, 29).

10. Dentheletae.

Thracum gentes barbarae liberae reipublicae Romanae temporibus nondum subactae erant, ut licet effici ex Cicerone (p. Sest. 94) et Plinio (n. h. IV, 40); cf. Mommsenum (R. G. V³, p. 279). Atque ex eis Dentheletas, qui finitimi erant provinciae Macedoniae, foedere cum Romanis inligatos fuisse scimus, nam 'ἔνσπονδον αὐτοῖς' (scil. Romanis) illam gentem vocat Dio Cassius (51, 23) anno 725/29.

11. Thessalonice

'liberae condicionis' (Plin. n. h. IV, 36). Libertatis testis est nummus (a cat. of gr. coins: Maced. etc. p. 115, n. 62) inscriptus: Θεσσαλονικέων ἐλευθερί[ας], qui M. Antoni et C. Caesaris (Octaviani) Imperatorum nomina praebet.

Quo tempore Thessalonice in libertatem vindicata sit, nescimus; anno 696/58 certe libera fuit; tum enim ibi degebat Cicero exul (Cic. ad Att. III, 8, 1; 14, 2).

Digni qui notentur, nummi sunt (cat. s. l. p. 113, n. 43 et 44), signati: Ομονοια-Θεσσαλον Ρωμ. Quae sit vis verbi: ὁμονοία, di-

serte explicuit Eckhel (D. N. IV, p. 338/339); nam liberae Graeciae temporibus foedera inter civitates facta eiusmodi nummis celebrantur; posteriore tempore de parvulis dissensionibus compositis aut de ludis una factis ὁμονοίας mentio adhibita est. De nummo proposito licet ambigi; nam cusus est aut exeuntis liberae reipublicae temporibus aut imperatorum aetate (cf. catal. s. l. p. 112/113); liberi autem erant Thessalonicenses eo tempore; itaque dubium videtur, utrum foedus cum Romanis factum an dissensio inter Thessalonicenses et negotiatores Romanos ibi versantes — nam de toto populo Romano vix licet cogitari — composita praedicetur.

Colonia vocatur Thessalonice in nummis inde a Valeriani regno (Eckhel, D. N. II, 80; Head, h. n. p. 213).

[Pella.

Cicero exul cum Phaetone liberto Pellae convenit per paucos dies (Cic. ad Att. III, 8, 1); neque tamen haec iusta causa esse videtur, cur eam urbem liberam esse censeamus.]

12. Scotussa.

'Scotussaei liberi' (Plin. n. h. IV, 35). De situ Scotussae (prope ad Heracleam Sinticam) recte iudicavisse videtur Cuntz (J. f. cl. Phil. 17. S., p. 508); addendum tamen est eandem urbem a Plinio iterum allatam esse (n. h. IV, 42).

13. Amphipolis

'liberum' (Plin. n. h. IV, 38).

14. Abdera

'libera civitas' (Plin. n. h. IV, 42).

15. Aenus

'liberum oppidum' (Plin. n. h. IV, 43).

[Maronea.

Quo tempore Macedonia in quattuor partes Romanis tributarias divisa est, Abdera, Aenus, Maronea solae erant exemptae (Liv. 45, 29, 6); Abdera et Aenus ab eo tempore liberae remansisse videntur (p. 31, n. 14 et 15); de Maronea nihil notum est.]

[Mesembria.

A Polybio (25, 4) inter αὐτονομουμένους recensentur Mesembriani; neque tamen scimus, num una cum Macedonibus, num alio tempore libertate privati sint.]

16. Thasus.

Liberata est Thasus iussu populi Romani anno 557/197 (Pol. 18, 48, 2 = Liv. 33, 35, 2); itaque cum non Macedoniae pars esset, sed per se staret, libertatem retinuisse videtur; liberam eam vocat Plinius (n. h IV, 73).

17. Samothrace

'libera' (Plin. n. h. IV, 73).

Achaia cum Epiro.

Graeciae gentes et urbes, quae Philippo, Macedonum regi, subiectae erant, Romani in libertatem vindicaverunt anno 557/197 (Pol. 18, 46, 5/15 = Liv. 33, 32, 5/6; alias). Sed Graeci, cum universi adversus Romanos arma cepissent, anno 608/146 devicti in Romanorum potestate remanserunt; de 'autonomia' Graecis relicta quid sit iudicandum, videas apud Mommsenum (R. G. II^8, p. 48 et adn.). Itaque siqui Graeci ante annum 608/146 liberi esse dicuntur, id libertati post hunc annum relictae testimonio esse nequit[1]); sed beneficio populi Romani factum est, ut aliis anno 608/146 libertas firmaretur, aliis postea daretur.

Achaia anno 727/27 a Macedonia segregata ipsa provincia facta est (Marquardt, St. V. I^2, p. 330), adiecta, ut videtur, Epiro (Mommsen, R. G. V^3, p. 234, a. 1).

Anno 67[2]) Nero imperator omni Achaiae pristinam libertatem restituit (Suet. Ner. 24; D. Cass. 63, 11; Plin. n. h. IV, 22; al.); huius rei documentum nuper repertum extat in: b. d. c. h. (1888, p. 511 sqq.); paulo emendatius illud edidit Holleaux (discours prononcé par Néron à Corinthe e. q. s., Lyon 1889). Libertatem Graecis rursus ademit Vespasianus imperator (Suet. Vesp. 8; Paus. VII, 17, 2; al.).

1. Corcyra.

Corcyra anno 525/229 Teuta regina victa libera esse iussa est (App. Ill. 8; Str. VII, fr. 7). Liberam eam vocat Plinius (n. h. IV, 52). Errat Zippel (Röm. Herrsch. i. Ill. p. 89), quem Marquardt (St. V. I^2, p. 296) secutus esse videtur, cum dicit

---

[1]) exemplum praebet Ambracia urbs, cui anno 567/187, post confectum bellum Aetolicum, libertas et suae res legesque restitutae sunt (Liv. 38, 44, 4).

[2]) de computando anno cf. Holleaux, l. l. p. 11 sqq.

Corcyram foederatam fuisse; nam ea, quae ex Polybio affert, nil valent ad rem demonstrandam; eis, quae ex Appiano (Mac. 1: Κερκύρᾳ, ἣ Ῥωμαίοις συνεμάχει) sumpsit, opponenda sunt eiusdem Appiani verba (Ill. 7): οἳ δὲ (scil. Romani) ἀπεκρίναντο Κόρκυραν... ἤδη Ῥωμαίων ὑπηκόους εἶναι. Neque enim 'συνεμάχει' quicquam aliud est nisi: 'socia erat, a partibus stabat'.

2. Nicopolis.

Nicopolitanam civitatem liberam esse dicit Plinius (n. h. IV, 5). Quae cum ab Augusto condita sit (Suet. Aug. 18), a Tacito (ann. V, 10), quamquam parum accurate, tamen non iniuria colonia Romana vocatur (Mommsen, R. G. V³, p. 271, a. 1). Foedus civitatis Servius (ad Aen. III, 501) commemorat; quod utrum lex conditae urbis fuerit an foedus cum Romanis factum, dubium est.

3. Acarnania.

Acarnanibus Romani libertatem[1]) concessisse dicuntur (λέγονται: Str. X, 2, p. 462); nam penes Romanos sibi commodo vertebant illi, quod expeditionis, quam Graeci fecerant ad diruendam Troiam, participes non fuissent (Str. l. l.). Quod beneficium quo tempore eis a Romanis concessum sit, notum non est, nec quousque eis servatum sit, nisi forte ex Strabonis verbis concludendum est eius aetate Acarnanes iam non libertate usos esse.

4. Thyrrheum.

Unum certe Acarnaniae oppidum, Thyrrheum, foedere cum Romanis coniunctum erat; extant enim fragmenta foederis (συμμαχία; cf. p. 6) anno 660/94 cum Romanis facti (Viereck, s. g., p. 45, n. 22).

5. Cephallenia.

Cephalleniam liberam fuisse inde efficitur, quod C. Antonius Hybrida, is qui cum Cicerone consulatum gessit, ibi exul degebat (Str. X, 2, p. 455); liberam eam vocat Plinius (n. h. IV, 54). Hadrianus imperator Cephalleniam Atheniensibus dono dedit (D. Cass. 69, 16); sed extat titulus (CIA. III, 481) inscriptus: ἡ πόλις Παλέων τῆς Κεφαληνίας ἐλευθέρα καὶ αὐτόνομος. Quae inscriptio, cum in Olympieo in honorem Hadriani posita sit, post illud

[1]) quae sit hoc loco vis vocis: αὐτονομία, cf. p. 34, n. 11.

templum ab eo perfectum locata videtur. Quae difficultas quomodo solvenda sit, ambiguum est. Nam aut Palenses, quamquam Atheniensibus cum tota Cephallenia donati, liberi sunt; quod si ita se habet, sola Cephalleniae tributa, quae Romani antea perceperant, Atheniensibus concessa, urbis status non mutatus est; similem rem de Cauno, Rhodiis attributo, postea (v. catal. s. v.: Caunus) probare studebo. Aut cum Cephallenia ab Hadriano Atheniensibus dono data sit, Palen exceptam esse hoc titulo docemur.

6. Zacynthus

'libera' (Plin. n. h. IV, 54).

7. Locri Ozolae.

Locri Ozolae, ab Augusto Patris Achaeorum, civitati liberae (p. 12 sqq.), attributi (Paus. X, 38, 9), a Plinio (n. h. IV, 7) immunes vocantur. Quamquam plane ignoramus, qua condicione Locri Patris attributi sint (ἄρχονται: Paus. l. l.), tamen vix probabile est eos Patrensibus vectigalia non pependisse. Itaque Locri initio Augustae aetatis immunes (Plin. l. l.), postea Achaeis Patrensibus attributi esse videntur (Paus. l. l.).

8. Amphissa

'immunis' (Plin. n. h. IV, 8).

9. Delphi.

Libertatem et immunitatem Romani, antequam Graeciam ipsam occuparunt, Delphis anno 565/189 aut 568/186 confirmaverunt (Viereck, s. g. p. 11/12, n. 10), Graecia capta servasse videntur. Plinius (n. h. IV, 7) Delphos liberum oppidum vocat.

10. Elatea.

Elatea, quia Taxili, Mithradatis regis duci, restiterat, libera et immunis iussa est a Romanis (Paus. X, 34, 2).

11. Abae.

Abis libertas a Romanis in honorem Apollinis concessa est (Paus. X, 35, 2); nam αὐτονομία, quae interdum a scriptoribus confunditur cum voce ἐλευθερία (p. 3), hoc loco idem esse debet quod libertas; αὐτόνομοι enim i. e. suis legibus utentes omnes Graeciae urbes fuerunt (Mommsen, R G II[8], p. 47/48); itaque Romani, si quid Abarum civibus in dei honorem addere volebant, nil restabat nisi ut libertatem (ἐλευθερίαν) eis concederent.

12. Thespiae

'liberum oppidum' (Plin. n. h. IV, 25). Liberas esse Thespias Hadriani imperatoris temporibus elucet ex titulo (CIL. VIII, 7059; cf. p. 35, n. 13).

13. Plataeae.

Recte Mommsen (St. R. II³, p. 857, a. 2) monuit eum virum, qui (CIL. VIII, 7059) dicitur: 'legatus divi Hadriani Athenis, Thespiis, Plataeis, item in Thessalia', missum esse ad corrigendum statum civitatium liberarum. Itaque Hadriani tempore liberae erant Plataeae.

14. **Tanagra**

'liber populus' (Plin. n. h. IV, 26).

15. Athenae.

Foedere cum Romanis coniunctae dicuntur Athenae a Tacito (ann. II, 53). Quamquam annis 666/88 sqq. Mithradatis, bello civili Pompei partes secuti erant, neque a Sulla (Liv. ep 81; Str. IX, 1, p. 398) neque a Caesare (App. b. c. II, 88) libertate privatae sunt. Liberas eas vocant Plinius maior (n. h. IV, 24), Strabo (l. l.), Plinius minor (ep. VIII, 24, 4), Dio Chrysostomus (or. 31, p. 621 R.). Hadriani temporibus Athenas liberas fuisse docet titulus (CIL. VIII, 7059; v. p. 35 n. 13).

16. Aegina.

Aegina, a M. Antonio Atheniensibus donata (App. b. c. V, 7), anno 733/21 eis adempta est ab Augusto (D. Cass. 54, 7); 'liberae condicionis' vocatur a Plinio (n. h. IV, 57). Praeterea nil scimus de libertate Aeginae; nam quidquid Le Bas (explic. d'une inscr. grecque de l'île d'Égine, p. 145 sqq.) affert, plane improbandum est.

17. Sicyon.

Ex Ciceronis verbis (ad Att. I, 19, 9) satis dilucidum est eam partem senatusconsulti, quae est de civitatibus liberis, Attici 'negotio' impedimento esse; quod 'negotium' quale sit, efficitur ex ultimis verbis: 'Tu si tuis blanditiis tamen a Sicyoniis nummulorum aliquid expresseris'; pecunias enim Atticus Sicyoniis dedisse videtur. Vetitus autem erat nummulos a Sicyoniis exprimere hoc senatusconsulto, de quo antea scripserat Cicero. Atqui ei displicebat haec pars, quae erat de populis liberis;

itaque iam facere non poterimus, quin anno 694/60 inter liberos populos recenseamus Sicyonios. (Ceterum cf. Hofmann, ausgew. Briefe v. M. T. C. I[5], ad h. l. et Tyrell, the corresp. of M. T. C. I, p. 104 ad h. l.).

Ex Ciceronis verbis (Verr. II, 1, 45), qui Sicyonium quendam 'populi Romani socium atque amicum' appellat, nil lucramur (cf. p. 6).

18. Patrae.

Patrae iam liberae reipublicae Romanae temporibus libera civitas erant (p. 13); ab Augusto colonos Romanos acceperunt; itaque colonia libera factae sunt (p. 12 sqq.).

19. Elis.

Elidem, qua in urbe ludi Olympiaci celebrentur annique non secundum provinciae aeram computentur, liberam esse censet Mommsen (R. G. V[3], p. 239, a. 1).

20. Pallantium.

Antoninus Pius imperator Pallantio ob cognationem, quae intercedit inter Romanos et Pallantinos (Plin. n. h. IV, 20; Paus. VIII, 43, 2), libertatem et immunitatem dedit (Paus. VIII, 43, 1).

21. Sparta.

Liberam vocant Spartam Strabo (VIII, 5, p. 365), Plinius (ep. VIII, 24, 4), Dio Chrysostomus (or. 31, p. 621 R.); foedere eam cum Romanis coniunctam fuisse dicit Marquardt (St. V. I[2], p. 327), quem Busolt (in: I. v. Müller, H. d. kl. Alt. IV, 1, p. 96) sequitur, nullo foederis testimonio allato. Neque, unde hoc sumpserit Marquardt, inveni[1]) et Hertzbergium (Gesch. Gr. I, p. 292, adn.) recte Athenas solam Graeciae civitatem foederatam vocare moneo.

22. Eleutherolacones.

Lacones, quos liberos esse dicit Plinius (n. h. IV, 16), Augustus post pugnam Actiacam liberos esse iussit (Paus. III, 21, 6); Foucartii sententiam (Le Bas-Waddington, voy. arch. II, p. 110), qui eos iam ante Augusti tempora libertate usos esse putat, recte refutavit Mommsen (R. G. V[3], p. 238, a. 2).

---

[1]) foedus, quod commemorat Livius (38, 31), nil est nisi foedus pacis.

Errat Busolt (l. s. l. p. 96), cum eos foederatam civitatem vocet; neque enim ullum foederis vestigium extat in eis locis, quos (adn. 3) affert; nam in voce: 'κοινόν' foederis mentio omnino non inest; quin etiam urbium, quas libertate caruisse constat, κοινά (conventus, concilia) extant (Mommsen, R. G. V³, p. 242/243).

23. Mothone.

Mothonaeis Traianus imperator libertatem concessit (Paus. IV, 35, 3).

Asia.

Prima pars Asiae, quam Romani occupaverunt, regnum Attalidarum est, quod Attalus III rex eis testamento legavit. Quod quibus finibus circumscriptum sit inde ab anno 566/188, Polybius (21, 48, 9/10) docet.

Sed Graecae urbes, quae in Asia erant, varia condicione utebantur; nam pars nunquam regibus subiecta fuit (Hertzberg, Gesch. Gr. I, p. 2), partem Romani ipsi in libertatem vindicavere (Pol. 21, 48, 1—3); eas solas, quae Attalo tributa solverant aut, quae Antiocho ante tributariae Romanorum partes in bello secutae non erant, Eumeni tributarias fecerunt (Pol. l. l.). His igitur civitatibus liberis Romani, cum Attali regni heredes fierent, libertatem reservasse videntur; neque enim, quae non regum fuerant, eas urbes iure hereditatis sibi assumere poterant; eas autem, quae Attalo tributa solverant, suae dicionis fecisse videntur; nam coniuncta tum erat apud Romanos cum libertate immunitas (p. 3) et urbium provincialium omnium fere ea condicio erat, ut Romanis tributariae suis legibus uterentur (Mommsen, St. R. III, 726). Neque tamen omnium harum civitatium, quae regum Pergamenorum aetate liberae erant, nomina nobis nota sunt.

Denuo exercitus Romani Asiam ingressi sunt primo bello Mithradatico. Atque hoc tempore factum est, ut omnes fere civitates Asiae Mithradatis iussa exsequerentur (Reinach, Mithr. Eup. p. 126). Itaque cum Sulla Asiam Mithradati eripuisset, eae quoque urbes, iure belli Romanae dicionis factae, provinciae Asiae additae esse videntur[1]) exceptis eis, quas Sulla liberas

[1]) **Haec est Sullanae constitutionis pars magna, quae Merckensium (quom. Rom. Asiam prov. constit., p. 6—10), Marquardtium (St. V. I², p. 337), alios plane effugit.**

esse iussit (App. Mithr. 61). Atque ne harum quidem omnium nomina affert Appianus (l. l.). Itaque, cum certus catalogus earum civitatium, quae in Asia provincia sitae sunt, dari nequeat, praeter urbes, quae certe post bellum primum Mithradaticum libertate utebantur, eas afferam, quibus anno 566/188 libertas concessa est (Viereck, s. g., p. 2/3, n. 3, v. 10/11: συγχωροῦμεν δὲ ὑμῖν τήν τε ἐλευθερίαγ καθότι καὶ [ταῖς ἄλ]λαις πόλεσιν, ὅσαι ἡμῖν τὴν ἐπιτροπὴν ἔδωκαν), sed asterisco adiecto, ut moneam nos ideo, quod anno 566/188 liberae esse iussae sint, non habere causam, cur etiam post annum 670/84 eas libertatem retinuisse putemus; nam ab eo tempore nisi quas Sulla liberas esse iussit (App. Mithr. 61), liberae fuisse non putandae sunt.

1. Cyzicus.

Cyzicus libertatem anno 566/188 retinuisse videtur; nam anno 575/179 a Polybio (25, 2) inter αὐτονομουμένους recensetur. Anno 680/74 a Mithradate obsessa fortiter restitit (App. Mithr. 73—76); ob hanc causam confirmata a Romanis libertas remansit (Str. XII, 8, p. 575) usque ad Augusti tempora; anno 734/20 urbs libertatem amisit (D. Cass. 54, 7), recuperavit anno 739/15 (D. Cass. 54, 23), denuo libertate spoliata est anno 25 a Tiberio (Tac. ann. IV, 36; Suet. Tib. 37; D. Cass. 57, 24, 6). Libertas postea restituta esse putanda est, siquidem recte se habet Mommseni opinio, de qua dixi p. 12.

Cyzicum exulatum ire in animo habuit Cicero (Cic. ad Att. III, 6; ad fam. XIV, 4, 3).

2. Lampsacus.*

Lampsacenis anno 584/170 petentibus, ne in regiam potestatem reciderent, Romani morem gesserunt (Liv. 43, 6, 8—10); videtur igitur hoc tempore libertas eis concessa neque oppidum regno Pergameno tributarium factum esse. Quando libertate spoliati sint Lampsaceni, nescimus; ex Ciceronis verbis (Verr. II, 1, 81) de statu oppidi nil certi lucramur.

3. Abydus.* 4. Dardanus.*

Abydus anno 557/197 iussu Romanorum praesidiis deductis in libertatem restituta est (Liv. 33, 30).

Dardanum anno 566/188 Eumeni Romani ademere et in libertatem vindicavere (Liv. 38, 39). Neque tamen ultra quic-

quam de eorum libertate constat; nam id quod Strabo de Dardano dicit (XIII, 1, p. 595), ad reges, qui ante aetatem Romanam Asiam tenuerunt, referendum est.

5. Tenedus.

Eadem fortasse de causa, qua Ilium et Dardanus (Liv. 38, 39, 10), Tenedus libera esse iussa videtur anno 566/188. Libertatem amisit anno 700/54 (Cic. ad Q. fr. II, 11, 2).

6. Ilium.

Iliensibus Romani iam, antequam in Asiam transgressi sunt, a Seleuco rege Syriae immunitatem perpetraverunt (Suet. Claud. 25); ipsi vero, cum post devictum Antiochum Asiae res constituerent, Eumeni Ilium non concesserunt, sed liberum esse iusserunt (Liv. 38, 39, 10). Post primum bellum Mithradaticum Sulla Iliensibus libertatem restituit (App. Mithr. 61); confirmavit ἐλευθερίαν et ἀλειτουργησίαν Caesar (Str. XIII, 1, p. 594). Itaque 'immunes' eos vocat Plinius (n. h. V, 124). Immunitatem 'in perpetuum' confirmavit Claudius imperator (Suet. Claud. 25; Ner. 7), denuo plenissimam immunitatem Antoninus Pius (Dig. 27, 1, 17, 1) eis concessit.

7. Methymna.

Foederis, quod Romani cum Methymnaeis icerunt, fragmenta extant, quae primus edidit Conze (Reise a. d. Insel Lesbos), post hunc Cichorius (Rh. Mus. 1889, p. 440 sqq.). De tempore foederis nil certi constat, sed ea, quae Cichorius (l. l. p. 443/444) attulit, foedus Methymnaeum eodem fere tempore, quo Astypalaeum (p. 55 n. 33), factum esse, probabilia videntur.

8. Mytilene.

Ante bellum, quod populus Romanus cum Antiocho rege gessit, Mytilene libera fuisse videtur; neque enim mihi probatur Cichorii sententia, qui Mytilenaeos Antiocho inservisse putat (Rom u. Myt., p. 3/4). Libertatem sibi reservarunt usque ad belli primi Mithradatici tempora; nam de libertate restituta (v. paulo infra), non tum primum data verba facit Velleius Paterculus (II, 18). Cum primo bello Mithradatico acriter res regis secuti essent, urbs a Romanis anno 674/80 expugnata (Suet. Iul. 2) libertatem amisit; denuo in libertatem vindicata est a Cn. Pompeio (V. Pat. II, 18), redeunte ex Asia post Mithradatis interitum anno 691/63 (Plut. Pomp. 42).

Coniuncta inter se senatusconsulta, epistulam, foedus, Mytilenis reperta, Cichorius, cum iam partem anno 1888 edidisset (Rom u. Myt.), omnia publicavit anno 1889 (Sitz. d. Berl. Ak. 1889, p. 953 sqq.). Atque nobis summi momenti sunt eae partes, quas Cichorius edidit l. l. p. 962 et 966.

Alterum documentum (l. l. p. 962) est senatusconsultum factum anno 709/45. Tempus cum falso definivisset Cichorius (Rom u. Myt., p. 26, idem Sitz. 1889, p. 963) — putabat enim anno 725/29—727/27 has litteras datas esse —, Mommsen (Sitz. p. 977/978) causis satis dilucidis allatis recte iudicavit illum virum, qui Γάϊος Καῖσαρ Αὐτοκράτωρ vocatur, non esse C. Octavianum, sed C. Caesarem dictatorem. Atque cum C. Caesar imperator se ipsum nominet in epistula (Sitz. p. 961): δικτάτωρ τ[ὸ τ]ρίτον, καθε[σταμένος τὸ τέταρτον][1]), Mommsen optime et epistulam et senatusconsulta inter se coniungenda eaque ultimis anni 709/45 mensibus scripta esse docuit (Sitz. p. 977; 978).

Atque senatus decrevit: χάριτα φιλίαν συμμαχίαν ἀνανεώσασθαι = ut amicitia et societas renovarentur, i. e. ut denuo Mytilenaei 'amici sociique' populi Romani essent. Nam iam antea, anno 691/63,[2]) libertate concessa socii et amici populi Romani facti sociorum officia violaverant Mytilenaei, cum adversus Caesarem Pompei partes secuti essent. Itaque societati amicitiaeque renovandae operam dederunt i. e. libertati firmandae. Neque tamen ex his verbis de foedere renovato cogitari licet; ac ne ullum quidem antea foedus extitit inter Mytilenaeos et Romanos, sed anno 729/25 (v. paulo infra) primum factum est. Cichorii igitur sententia (Rom. u. Myt., p. 25; Sitz. p. 971), qui foedus anno 692/62, aliud senatusconsultum anno 725/29—727/27 factum esse arbitratus verba: 'συμμαχίαν ἀνανεώσασθαι' vertit: 'ut foedus renovarent', mutata chronologica ratione ad irritum redigitur. Nec magis probatur hac re Cichorii sententia, qui ultimam foederis partem (Rom u. Myt. p. 17, Viereck, s. g. p. 47, n. 23 B) Antiochi tempore factam esse putat (Rom u. Myt., p. 25; Sitz. p. 971); iam Viereck (s. g. p. 52 in adn.) eam opinionem parum probabilem esse docuit.

---

[1]) ita recte supplevit Mommsen (Sitz. p. 976, s. f.).

[2]) p. 39.

Anno 729/25[1]) senatusconsultum factum est de foedere iureiurando confirmando (Sitz. p. 966): [δόγμ]ατα περὶ ὁρκίου; ipsius quoque foederis fragmenta servata sunt (Sitz. p. 971). Inde ab hoc anno Mytilene inter civitates foederatas versatur.

Liberi vocantur Mytilenaei a Dione Chrysostomo (or. 31, p. 621/622 R.).

[Pergamum.

De Pergamenorum titulo (Fränkel, Inschr. v. Pergam. I, n. 249) vide p. 2).]

9. Cyme.*

Cyme, quamquam ad Antiochum defecerat (Liv. 37, 11, 5), tamen a Romanis, fortasse quia a Seleuco, regis fratre, post expugnatam Phocaeam regis partes sequi coacta erat, immunitate super libertatem donata est (Pol. 21, 48 = Liv. 38, 39). Quae quousque libertatem retinuerit, ignotum est.

10. Phocaea.

Phocaeae urbi, cum a Seleuco, Antiochi fratre, expugnata esset (Liv. 37, 11, 5), a L. Aemilio praetore anno 564/190 receptae libertas reddita est (Liv. 37, 32: urbem, agros et suas leges; Pol. 21, 48: τὸ πάτριον πολίτευμα = Liv. 38, 39). Perdiderunt libertatem, seu cum Aristonicum iuvarent (Mommsen, R. G. II^8, p 53; Ihne, R. G. V, p. 73), seu Mithradatis partes secuti seu alio tempore; certe non fuerunt liberi, quo tempore eis Cn. Pompeius libertatem dedit (D. Cass. 41, 25; Lucan. Phars. V, 53) anno 705/49 aut 706/48.

11. Apollonidea.[2])

Certe intra annum 692/62, quo L. Valerius Flaccus propraetore Asiam administrabat, et annum 695/59, quo idem a Cicerone defensus est, Apollonidea[1]) libera civitas fuit (Cic. p. Flacc. 70/71).

---

[1]) hunc titulum primus mutilatum edidit Fabricius (M. d. A. I. Ath. IX, p. 83) et anno 692/62 positum esse putavit; repetivit titulum cum temporis nota Viereck (s. g. p. 45 sqq., n. 23), temporis notam Cichorius (Rom u. Myt., p. 9); sed reliquis partibus a Cichorio repertis (Sitz. 1889, p. 966) docemur, non de D. Iunio Silano (cos. 692/62), sed de M. Iunio Silano (cos. 729/25) cogitandum esse.

[2]) de nominis forma cf. Marquardt (St. V. I^2, p. 346, a. 7).

12. Magnesia ad Sipylum sita.

De Magnesia urbe siquid narratur, primum discernendum est, utrum de Magnesia ad Sipylum sita an de ea, quae ad Maeandrum est, verba fiant. Itaque proficiscendum est ab eis locis, quibus situs definitur.

Magnesia ad Sipylum sita libera a Romanis esse iussa Strabonis aetate libera fuit (Str. XIII, 3, p. 621). Eidem Magnetes iam, antequam Romani adversus Mithradatem in Asiam transierunt, Archelao, regis duci, circa annum 666/88 acriter restiterunt (Paus. I, 20, 5). Haec haud scio an causa erat, cur Romani Magnesiam libertate donarent, fortasse iam propter victoriam de Antiocho hoc loco partam Magnetes liberi esse iussi sunt. Ad hos videntur respicere verba, quae sunt in Livii epitome (81), de utris Appianus (Mithr. 61) cogitaverit, dubium restet necesse est. Nam Magnetes quoque, qui sunt ad Maeandrum, libertate usi esse videntur (p. 45/46, n. 19).

13. Sardes.

De Sardianorum libertate et immunitate nil scimus nisi ex ea inscriptione Septimii Severi aut Caracallae aetate posita, quam edidit Cichorius (Sitz. d. Berl. Ak. 1889, p. 371): (v. 1 et 11:) ἀφ[ο]ρο[λογήτου . . . .] — — Σαρδιαν[ῶν πό]λεως.

14. Smyrna.

Ante bellum, quod populus Romanus gessit cum Antiocho rege, libera fuit Smyrna (Pol. 21, 22; Liv. 35, 42), retinuit libertatem post hoc bellum (Pol. 21, 48 = Liv. 38, 39). Anno 651/103 aut 654/100 (Mommsen, R. G. II⁸, p. 179, adn. 1) in hanc urbem exulatum ivit Q. Caepio (Cic. p. Balb. 28). Anno 692/62 seu 695/59 Smyrna iam non fuit libera civitas, ut licet effici ex Cicerone (p. Flacc. 71); opponuntur enim civitatibus liberis a Cicerone: Pergamum,[1]) Smyrna, Tralles[2]). Itaque verisimillimum videtur Smyrnam Mithradatis rebus studuisse et ob hanc causam libertate spoliatam esse.

---

[1]) Pergamum, regia illa sedes, certe Romanorum factum est testamento regis.

[2]) Tralles, Eumeni regi anno 566/188 datae (Liv. 38, 39, 16), ipsae quoque ex testamento Attali Romanorum factae sunt.

Sed dubii haeremus propter P. Rutilium Rufum, qui ibi post primum bellum Mithradaticum confectum exulavit. Nam P. Rutilius anno 661/93 seu 662/92 seu 663/91 (Peter, hist. Rom. rell. I, p. CCLXII; Reinach, Mithr. Eup. p. 107, a. 3) accusatus atque iniuste damnatus Mytilenas in exilium profectus est. Quae cum propter Mithradatem bellum moventem non satis tutae sibi viderentur, Smyrnam concessit — dubium, quo anno; mihi quidem, cum ante Sullae in Asiam adventum ne hic quidem secure vitam degere potuerit, probatur Zumptii opinio (Crim. d. Röm. Rechts, p. 479), qui putat eum per aliquot annos sine certa sede vagatum esse. Etsi Sulla eum, ut rediret in patriam, adhortabatur, tamen Smyrnae remansit ibique diem supremum obiit. Itaque ex hac re concludendum videtur Smyrnam etiam post primum bellum Mithradaticum liberam remansisse; eam ante annos 692/62 seu 695/59 libertatem amisisse elucet e Cicerone (l. l.).

Sed de Rutili exilio auctores inter se discrepant, atque fortasse Zumptii sententia probanda est (l. l. p. 479), qui putat Rutilium pecunia multatum sua sponte (μηδενὸς ἀναγκάζοντος: D. Cass. fr. 95, 2 Melber) Roma emigrasse neque unquam in iusto exilio fuisse.[1] Quod si recte se habet, omnibus Asiae civitatibus licuit Rutilium inter moenia sua recipere. Cum hac sola opinione congruit Valerius Maximus (II, 10, 5), nisi forte eum rhetorice rem auxisse rati fidem eius narrationi abiudicabimus.

15. Clazomenae.*

Anno 566/188 Clazomenii inter eos recensentur, quos Romani liberos et immunes esse iubent; neque tamen ultra bellum Mithradaticum libertatem retinuisse videntur. Nam ex senatusconsulto, quod vocatur: 'de Asclepiade' (Kaibel, Inscr. Gr. Sic. et Ital. 951) licet effici Clazomenas anno 676/78 non fuisse liberas.

Nam tribus illis viris, quorum primus Asclepiades Clazomenius est, propter res erga populum Romanum bene gestas conceditur, ut, si cuius rei accusentur, eis liceat locum iudicii et iudices eligere:

---

[1]) id Hartmann quoque (de exil. p. 7, a. 4) fieri potuisse concedit.

ἐάν τε ἐν ταῖς πατρίσιν κατὰ τοὺς ἰδίους νόμους βούλωνται κρίνεσθαι ἢ ἐπὶ τῶν ἡμετέρων ἀρχόντων ἢ ἐπὶ Ἰταλικῶν κριτῶν, ἐάν τε ἐπὶ πόλεως ἐλευθέρα[ς] τῶν διὰ τέλους ἐν τῇ φιλίᾳ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων μεμενηκυιῶν, οὗ ἂν προαιρῶνται.[1])

Opponitur hoc loco: aut iudicium ferant seu Romani magistratus seu Italici iudices, aut civitas libera; priori enuntiati parti adicitur: 'in patriis suis'. Nempe: aut in eorum patriis secundum eorum leges magistratus Romani vel iudices Italici (i. e. cives Romani), huius rei causa constituti, — similem casum vide apud (Cic.) ad. Brut. I, 6, 4[2]) — ius eis dicant aut civitatis liberae cives iudicium ferant. Itaque cum secundum senatusconsultum Clazomenis, Mileti, Carysti ius dicatur a magistratibus Romanis[3]) eisque oppidis opponantur civitates liberae (ἐάν τε ἐν ταῖς πατρίσιν — ἐάν τε ἐπὶ πόλεως ἐλευθέρας), certe hae tres urbes anno 676/78 liberae non erant.

16. Erythrae.*

Erythraeos liberos fuisse anno 566/188 constat (Pol. 21, 48 = Liv. 38, 39). De eorum libertate aut conservata aut adempta nil praeterea scimus.

[Teus.

Teiis anno 561/193 a Romanis conceditur: εἶναι τὴν πόλιν καὶ τὴγ χώραν ἱερὰν καὶ ἄσυλον καὶ ἀφορολόγητον ἀπὸ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων (Viereck, s. g. p. 2, n. 2). Sed singula haec iura, quae alii quoque populi Teiis concesserunt, non ita multum valuisse videntur; e. g. Scheffler (de reb. Teiorum, diss. Lips., p. 29) monuit, ab Athamanibus quoque (Le Bas-Waddington, voy. arch. III, 83) Teiis ἀφορολογησίαν concessam esse, qui certe non eam vim habebant, ut unquam tributa exigere aut auderent aut possent.

[1]) ante: 'ἐπὶ Ἰταλικῶν' nisi apud Kaibelium (l. l.) non legitur: ἤ. Sed cum Kaibel, novissimus huius tituli editor, a se ipso lapidem recognitum esse profiteatur, eius lectio sequenda videtur; H suprascriptum vide in tabula (Kaibel, l. l. p. 248); Viereck (s. g. p. 31 sqq. n. 17) non satis accurate Kaibelii apographum, quo se usum esse ipse dicit, expressit; nam omisit vocem: ἤ.

[2]) neque enim, cum legatur: ἢ ἐπὶ Ἰταλικῶν, confugiendum est ad eam explicandi rationem, quam Mommsen protulit (CIL. I, n. 203, ad. v. 19).

[3]) hac ex re cognosci posse urbem Romanis subditam esse docent verba Ciceronis (p. Flacc. 71): 'ubi et multi cives Romani sunt et ius a nostro magistratu dicitur. — Graecorum libertate gaudes'.

Sed Teii certe amici Antiochi regis, — nam eius legatus Romae Teiorum quoque res egit —, eius partibus favebant adverso in Romanos animo (Liv. 37, 27 et 28); itaque recte Scheffler (l. l. p. 30, 31; 33) conclusit Teum tum Eumeni traditam atque hoc modo Romanorum factam esse. Marquardtii igitur sententia (St. V. I^2, p 347, a. 13), qui Teum liberam civitatem vocat, mihi non probatur. Postea Teum libertatem accepisse traditum non est; nam quae testimonia Scheffler (l. l. p. 34) affert, App. (Mithr. 61) et D. Cass. (37, 20), nil omnino demonstrant.]

17. Chius.

Chiis libertas, qua utebantur anno 566/188 (Pol. 21, 48 = Liv. 38, 39), a Romanis finito bello primo Mithradatico restituta est (App. Mithr. 61); venerant enim in Mithradatis potestatem (App. Mithr. 46; Plut. Luc. 3). Redditae libertatis documentum extat in senatusconsulto, anno 674/80 facto (Hicks, a man. of gr. h. inscr. n. 206). Liberam Chium vocat Plinius (n. h. V, 136).

18. Colophon.* Notium*.

Colophonios primo bello Mithradatico a L. Lucullo expulso tyranno liberatos esse tradit Plutarchus (Luc. 3); sed quae sit vis verbi: ἠλευθέρωσε, recte explicavit Ihne (R. G. V, 72); videtur hic tyrannus Mithradatis partibus studuisse; quo deiecto certe urbs in dicionem Romanam pervenit.

Colophonii, qui Notium inhabitabant, anno 566/188 liberi fuerunt (Pol. 21, 48 = Liv. 38, 39).

De eorum libertate nil praeterea scimus.

[Ephesus.

Ephesus iam Pergamenis regibus paruit (Pol. 21, 48, 10); libertas Ephesiorum praedicatur in titulo (CIL. I, 588); de hac libertate quid sit iudicandum, videas p. 2.]

19. Magnesia ad Maeandrum sita.

Extat titulus Antonini Pii imperatoris temporibus positus a Panhellenibus (CIA. III, 16), in quo paucis Magnetum res gestae recensentur; inter eas memorantur hae: τιμηθέντες καὶ ὑπὸ [τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμ]αίων, δι᾽ ἃς ἐποιήσαντο συμμα[χίας πρὸς αὐτὸν —].

συμμαχίαι, quas Magnetes fecerunt cum populo Romano, factae esse videntur eis bellis, quae Romani in Asia gerebant, Anticheno et Mithradatico; his enim bellis Magnetes a partibus po-

puli Romani steterunt (Tac. ann. III, 62). Certe Magnetes non inter eos fuerunt, qui, quod Antiochi partes secuti essent, Eumeni tribuebantur anno 566/188; cum etiam Mithradatico primo bello a Romanis stetissent (nam συμμαχίας, non semel, cum Romanis fecerant), libertas eis confirmata est (App. Mithr. 61; sed cf. p. 42 n. 12). Hoc exprimitur huius tituli verbis: τιμηθέντες a Romanis propter belli societates; de conservata libertate saepe eisdem verbis narratur, ut a Livio (38, 39: in omni praecipuo honore habuerunt = Pol. 21 48) et a Strabone (XII, 8, p. 576: Ῥωμαῖοι δ' ἐτίμησαν τὴν πόλιν (Cyzicum) καί ἔστιν ἐλευθέρα μέχρι νῦν).

20. Samus et 21. Priene*.

De discordiis, quae erant inter Samios et Prienenses, anno 619/135 iudicium tulit senatus Romanus (Viereck, s. g. p. 21, n. 14). Tunc Samii et Prienenses liberi fuisse neque Attalo paruisse videntur; huius enim, non Romanorum fuisset iudicare de discordiis earum urbium.

De Prienensium libertate nil praeterea scimus.

Samii libertatem primo bello Mithradatico amisisse videntur; Augustus anno 734/20 ibi moratus eam reddidit (D. Cass. 54, 9); liberam Samum vocat Plinius (n. h. V, 135).

Colonia vocatur Samus in inscriptione (Vischer, kl. Schr. II, p 155), quae ad Augusti tempora referenda videtur (Mommsen, r. g. d. Aug.[2], p. 96, a. 1). Sed cum vox colonia graecis litteris scripta in graeca inscriptione occurrat, haud iniuria Mommsen (l. l.) dubitavit, num revera colonia Romana eo deducta putanda esset.

De exilii iure ab Augusto Samo insulae dato secundum probabilem Boissevainii coniecturam videas p. 7 et adn. 2.

Libertatem ademisse traditur Vespasianus (Suet. Vesp. 8); de dubia huius loci fide vide p. 59 sqq.

22. Miletus.*

Libera erat Miletus urbs anno 566/188 (Pol. 21, 48 = Liv. 38, 39); atque cum libera esset, Romani ei componendas Messeniorum et Lacedaemoniorum discordias permiserunt; nam inscriptio (Ditt. syll. I, n. 240), post L. Mummi consulatum facta, eo tempore posita videtur, quo Miletus libertate utebatur. Huic quoque tempori attribuendus est Taciti locus (ann. IV, 43), qui fortasse ad eandem rem spectat, ad quam inscriptio (Ditt. l. l.).

Iam supra, quo loco de Clazomenis verba feci (p. 43/44 n. 15), probare studui Miletum anno 676/78 iam non fuisse liberam civitatem. Ac ne posthac quidem libertatem recuperasse videtur Miletus; neque enim Hartmanno (de exilio, p. 10 a. 1), qui exulum et proscriptorum rationibus commixtis propter L. Aemilium Paulum, virum proscriptum, ibi versantem libertatem vindicavit Mileto, me assentiri posse demonstravi p. 7/8.

23. Heraclea ad Latmum montem sita.*

Antiocho devicto Romani Graecis oppidis, quae antea Antiocho tributa solverant, si ab eorum partibus steterant, immunitatem et libertatem concesserunt. Inter has versatur Heraclea (Viereck, s. g. p. 2, n. 3). De servata aut amissa libertate nil scimus.

[Phrygia maior.

In vico quodam Phrygiae maioris inscriptio nuper in lucem prodiit (Viereck, s. g. p. 51, n. 29), qua doceri videmur Phrygiam maiorem — quae a M.' Aquilio Pontico regno addita erat (Mommsen, R. G. II[8], p. 56) — Mithradati V Euergetae usque ad eius mortem (v. 9: εἰς ἐσχάτην ἡμέραν) paruisse.[1]) Statim post eius necem Phrygia Mithradati VI Eupatori, eius filio, adempta videtur (App. Mithr. 57); nam in titulo (s. l.) solae res, quae usque ad Mithradatis V diem supremum factae erant, ratae esse iubentur, nil additur aut de Eupatoris aut de eius matris decretis. Neque tamen ante annum 638/116 Phrygiae statum ordinatum esse docet inscriptio. Itaque intra annos 634/120 et 638/116 Phrygia in incerto statu remansit; nam nec Pontici regni pars erat nec provinciae Romanae.

Atque de hoc statu Appianus (Mithr. 57) Sullam loquentem facit; ille enim a Romanis Phrygiam non propterea regi ademptam esse dicit, ut ipsis pecuniam solveret, sed ut libera esset.

[1]) Dubium est, quo spectent C. Gracchi verba, quae laudantur a Gellio (n. a. XI, 10): 'qui prodeunt dissuasuri, ne hanc legem accipiatis, petunt non honorem a vobis, verum a Nicomede pecuniam. Qui suadent, ut accipiatis, hi quoque petunt non a vobis bonam existimationem, verum a Mitridate rei familiaris suae pretium et praemium' e. q. s. Neque tamen eius oratione effectum esse videtur, ut Phrygia regi eriperetur (Reinach, Mithr. Eup. p. 44); neque enim ante eius mortem Phrygiam regibus ademptam esse docet inscriptio (s. l.). Fortasse non de danda aut adimenda Phrygia (Mommsen, R. G. II[8], p. 116, adn.), sed de alia re inter Mithradatem et Nicomedem reges intercedente agitur.

Quod cum ita sit, Phrygia ob hunc statum 'liberum et immunem', qui omni publico iure carebat, inter liberas civitates, quae vocantur, non recensenda est.[1])]

24. Antiochia prope Pisidiam sita.

Antiochia ἡ πρὸς Πισιδίᾳ anno 566/188, cum Romani Eumeni terram Antiocho ereptam attribuerent, iussu populi Romani exempta libera facta est (Str. XII, 8, p. 577). Romani Attali heredes facti, libertatem eis, ut aequum erat, conservasse videntur; et remansit Antiochia in hoc statu, donec Amyntas rex, cui M. Antonius favebat (D. Cass. 49, 32), urbem expugnaret (Str. l. l.). Post Amyntae mortem totum eius regnum in provinciae formam redactum (Str. XII, 6, p. 569), Antiochia colonia Romana facta est (Plin. n. h. V, 94; Str. XII, 8, p. 577; Dig. 50, 15, 8, 10).

[Orcistus.

In epistula Constantini anno 331 data (CIL. III, S. 7000) verba fiunt de Orcistanorum libertatis privilegio (III, v. 10 sqq.): 'actum est indulgentiae nostrae munere ius vobis civitatis tributum non honore modo, verum libertatis etiam privilegium custodire'.

Sed ex verbis sequentibus elucet 'libertatis' verbi vim esse: 'redditum ius civitatis a Nacolensibus ereptum'; itaque de civitate libera hoc loco non agitur.]

Cariae post Antiochum devictum ea pars, quae erat trans Maeandrum, Eumenis (Pol. 21, 24 = Liv. 37, 55), postea Romanorum (Cic. p. Flacc. 65) facta est; altera, quae est cis Maeandrum, Rhodiis data est, sed anno 587/167 eis adempta libera remansit (Pol. 30, 5, 12; 30, 22; Liv. 44, 15; 45, 25;

[1]) Ceterum quae Reinach (Mithr. Eup. p. 44, a. 3) affert ad fulciendam eam opinionem — ut videtur —, quam Mommsen in septima historiae Romanae editione (p. 265) protulerat, ut Phrygiae statum cum Graecia compararet, ea plane improbanda videntur. Nam Reinach Appianum (Mithr. 11) de Phrygiae statu narrare dicit 'avec renvoi aux Hellenica perdus'; sed quae Appianus de Hellenicis suis dicit, valde distant a verbis Reinachii. Haec enim sunt Appiani verba: 'ὡς διὰ τῆς Ἑλληνικῆς γραφῆς δεδήλωται'. Quidnam ἐδήλωσεν Appianus? Nempe Mithradatem ob ereptam Phrygiam Romanis iratum, non vero statum Phrygiae Graeciae similem fuisse.

App. Mithr. 23). Mithradatico bello primo confecto Sulla, cum Asiam constitueret, Cariae quoque rebus consuluisse videtur; nec tamen constat, utrum eam tum Asiae provinciae adiecerit an liberam reliquerit; nisi forte aliquid ex Plinii silentio (n. h. V, 103 sqq.) concludendum est; qui, si omnes Cariae urbes libertate usae essent, vix aliquot earum ipsis verbis liberas praedicavisset.

Sed iam cum Rhodii omnem fere Cariam tenerent, nonnullae civitates fuisse videntur, quae liberae Rhodiis non parerent, ut Alabanda, Mylasa (Pol. 30, 5, 11—15 = Liv. 45, 25, 11).

25. Alabanda.

Alabanda, sicut supra dixi, Rhodiis non subiecta fuisse videtur et libertatem retinuit usque ad Augusti tempora, quem Plinius (n. h. V, 109) sequi videtur.[1])

Sed extat inscriptio, quam Alabandenses civi bene merito posuerunt (b. d. c. h. 1886, p. 299 sqq.). Hic enim Romam ivit, ut Romanos edoceret: 'τὰς χρείας, [ἃς] παρέσχηται — populus Alabandensis — εἰς τὰ στρατόπεδα αὐτῶν' et ut 'συμμαχ[ίαν]' faceret; foedus factum esse videtur; nam ille 'κατώρθωσεν τὰ κατὰ τὴ[ν πρεσ]-βείαν συμφερόντως τῇ πατρίδι'. Iterum Romam ivit ibique perpetravit: 'δόγμα περὶ τῆς ἀφορολογησίας'. Deinde legatus profectus est 'πρὸ[ς] τὸ[ν] βασιλέα'.

Qui ediderunt inscriptionem, Diehl et Cousin, inde profecti sunt, quod Alabanda, urbs Cariae non ita magna, sua sponte ad foedus faciendum populum Romanum provocavit; quod post Asiam in provinciae formam redactam fieri potuisse negaverunt. Neque tamen haec causa ullius momenti est; nam et Mytilenaei anno 729/25 (p. 41) de foedere legatos miserunt; foedus Thyrrhaeum anno 660/94 (p. 33), foedus Aphrodisiense post annum 714/40 (p. 54) factum est per legatos Romam missos. Itaque haec missa faciamus.

Aliunde egrediendum videtur.

v. 32/33 legitur de supremis eius viri in cives suos meritis:

καὶ ἐπισταλεὶς πρὸ[ς] τὸ[ν] βασιλέα περὶ τῶν [. . . . .]
των δε με[γ]ίστ[ω]ν ἀγαθῶν αἴτιος γενόμεν[ος ἀ]
πεξέλιπε τὸν βίο[ν] ἐ[ν τ]ῆι πρεσβείαι.

[1]) p. 4, adn. 2.

Leguntur post lacunam v. 32 litterae των δε; editores δὲ (cum accentu gravi) scribendum censuere; sed haec res grammaticorum regulis obversatur. Nam quaeritur, ad quod verbum sit rcferenda vox: 'δὲ'. Neque cnim μὲν extat in inscriptione; at, si sine 'μὲν' positum est: 'δὲ', inde a verbo των aut a lacuna incipiat necesse est novum enuntiatum.[1]). Aut si coordinata inter se ponimus participia, certe haec non sunt coordinata sensu. Nam: 'ἐπισταλείς' continuat narrationem chronologicam, 'μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιος γενόμενος' comprehendit, quascunque res bene gessit iste vir. Itaque ne sic quidem verbum: 'δὲ' explanari potest; scd id omnino hoc loco usui esse nequit.

Quod cum constet, δε coniungendum csse videtur cum verbo: 'των', ut efficiatur: τῶνδε, atque referendum ad: περὶ τῶν[. . . . .], latine: de hisce rebus. De quibus? Nempe de rebus modo commemoratis. De quo autcm antea dictum est? Videmus: δόγμα περὶ ἀφορολογησίας et φόροι. Hoc loco, quo perpaucae solum desiderantur litterae, nil restat nisi ut suppleamus: φόρων (seu τελῶν seu similis argumenti rationisque verbum).

De his tributis, de quibus iudicaverat senatus Romanus, ad regem missus esse poterat ille vir, scilicet, ut ei indicaret se a Romanis impetrasse 'δόγμα περὶ τῆς ἀφορολογησίας', quo illi iuberent Alabandenses regi tributum non solvere. Itaque rex erat is, cui ne tributum solverent, Alabandenses Romam miserant legatos. Neque tamen ullus rex nisi qui haud tamquam cliens, sed fortasse adversarius populi Romani erat, ab Alabandensibus, amicis[2]) populi Romani, qui (v. 15) cum eo συμμαχ[ίαν] fecerant, tributum exigere poterat.

Hoc constat; qui fuerit rex et quo tempore ille titulus positus sit, nisi ad quandam probabilitatis speciem evinci nequit.

Nam recte demonstrarunt editores notum fuisse omnibus τὸν βασιλέα putandum essc, quippe cuius nomen non additum esset. Nota quoque fuit, ut mihi videtur, res, de qua agebatur in legatione περὶ τῶν [φόρων]; quod consentaneum est in titulo, quod cives civi posuerunt. Itaque quaerendum est, qualis fuerit is rex.

[1]) Sed hoc suppleri nequire in tam parva lacuna, praesertim cum requiratur genetivus pluralis coniunctus cum περὶ τῶν, facile intellegitur.

[2]) v. 12/13: τὴν ὑπάρχουσαν πρὸς 'Ρωμαίους οἰκ[ειό]τητα καὶ φιλίαν ἀνανεώσασθαι.

Attalici reges non fuerunt; nam cum socii et amici populi Romani essent, ab Alabandensibus, qui et ipsi partes Romanas sequebantur, tributum exigere nequibant.

De Mithradate vix cogitari licet; nam quo tempore is Cariae imminebat, ante annum 666/88 (Reinach, Mithr. Eup. p. 144), ille infestissimo in populum Romanum animo nec solum expostulavisset tributum neque expectavisset, donec legati Romam missi redirent, sed urbem ipsam adortus esset.

Itaque nisi forte de rege plane ignoto hoc titulo agi putemus, reliqui sunt Philippus, Macedoniae, et Antiochus, Syriae rex; quorum uterque (Philippus: Mommsen, R. G. I[8], p. 698; Antiochus: Mommsen, R. G. I[8], p. 724) Cariae urbibus imminebat, Philippus ante annum 554/200, Antiochus ante annum 562/192. De Philippo ideo non est cogitandum. quia legatus ille Romae docebat (v. 13/14): τὰς χρείας, [ἃς] παρέσχηται — populus Alabandensis — εἰς τὰ στρατόπεδα αὐτῶν (scil. populi Romani); haec στρατόπεδα (exercitus), qualia fuerint, si de Philippo agatur, vix explicari potest, si de Antiocho, Romanorum exercitus, contra Philippum bellum gerentes, esse possunt.

Cum hac temporis computatione optime congruunt ea. quae Livius (38, 13) narrat. Alabandensibus enim, qui (v. 12/13) τὴν — οἰκ[ειό]τητα καὶ φιλίαν renovaverant erga Romanos, anno 565/189 castellum, quod ab eis defecerat, ut sibi restitueretur petentibus, Romani morem gesserunt.

Quod si ponimus, hoc fere modo res explicanda est. Antiochus Philippo devicto Asiae partes, quae antea Philippi fuerant, occupare studuit (Mommsen, l. l., p. 724/725), atque Alabandam quoque in earum urbium numero esse voluit, quae a Polybio (21, 48, 2; al.) nominantur: αὐτόνομοι Ἀντιόχῳ φόρον ὑποτελοῦσαι. Quod ne facere cogerentur, Alabandenses quippe cum Romanis coniuncti legatos Romam miserunt; Romae peraegre perpetraverunt, ut sibi δόγμα περὶ τῆς ἀφορολογησίας daretur. Neque enim e vestigio Romani, cum nollent se statim cum Antiocho bellum gerere cogi (Mommsen, R. G. I[8], p. 724—725), precibus eorum obsecuti esse videntur; nam ille legatus praedicatur ἀναστραφε[ὶς ἐν τού]τοις ἐν δό[ξ]ω[ς] καὶ προσκαρτερήσας φίλους.

Nunc quae inde concludenda sint, videamus.

Alabandenses, quibus antea cum Romanis φιλία καὶ οἰκειότης fuerat — nam Romanorum exercitus adiuverant — legatos miserunt de foedere. Ex verbo: συμμαχία non certe concludendum esse, Alabandam inter civitates foederatas receptam esse, editores recte perspexerunt; cf. ea, quae dixi pagina 6. Nam ea quoque esse potuit foederis lex, ut Romani suis copiis se adfuturos esse pollicerentur, si forte ab Antiocho impetus fieret in Alabandenses. Sed cum ex inscriptione ipsa videamus legatum illum Romanis exposuisse, quae Alabandenses consumpsissent pro Romanis exercitibus, eorumque erga populum Romanum merita enarravisse, foederis lex haec fuisse putanda est, ut Alabandensibus — qui fortasse veriti erant, ne ab Antiocho opprimerentur — foedere libertas concederetur a Romanis. Itaque si quidem recte iudicavimus de tempore inscriptionis, intra annos 557/197 et 562/192 Alabanda civitas foederata facta est.

Sed, utut iudicatur de foedere, quod κατώρθωσεν ille vir, tributi seu immunitatis mentio in illo foedere inesse non putari debet; neque enim haec ἀφορολογησία ad Romanos, sed ad regem pertinet; itaque hoc δόγμα περὶ τῆς ἀφορολογησίας coniungi nequit cum illo nummo,[1]) qui extat apud Mionnetum (descr. d. méd. III, p. 306, n. 14): 'Ἀλαβανδέων ἀτελείας'; hunc enim nummum non ante annum 584/170 cusum videri propter verba: 'Θεὰ Ῥώμη', monuit O. Hirschfeld (Sitz. d. Berl. Ak., 1888, p. 835, adn. 14).

26. Aphrodisias/Plarasa.

Aphrodisienses liberos vocat Plinius (n. h. V, 109); atque huius libertatis datae documenta extant (Viereck, s. g., p. 5, n. 5). Nam Plarasensibus et Aphrodisiensibus, qui unam urbem effecisse videntur, M. Antonius intra annos 715/39 et 719/35 scripsit, se eis missurum esse (v. 44—46): ἀντίγραφα τῶν γεγονότων ὑμεῖν φιλανθρώπων τὰ ὑπογεγραμμένα. Sunt autem haec antigrapha, ut elucet ex versibus 23—26:

1. ἐπίκριμα.	3. ὅρκιον.
2. δόγμα.	4. νόμος.

[1]) eundem nummum ab Imhoof-Blumero servari refert Mommsen (St. R. III, p. 682, adn. 3); tres, qui eisdem verbis: 'ἀτελείας Ἀλαβανδέων — Θεὰ Ῥώμη' diversis inter se modis signati sunt, adhuc ineditos vidi in nummophylacio musei Berolinensis.

Quod si tenemus, prima pars ἐπίκριμα esse debet, C. Caesaris epistula, cuius prima linea (v. 51) extat: Γράμματα Καίσαρος; altera pars est senatusconsultum (δόγμα), cuius maior pars extat (B apud Viereckium l. l.); amissa sunt foedus (ὅρκιον) et lex (νόμος).

Atque illo decreto (ἐπίκριμα), quod per litteras (γράμματα) C. Caesar dictator senatui misisse videtur, constitutum erat, ut Aphrodisienses Plarasenses liberi essent. Haec epistula aut a Caesare ipso scripta aut, id quod magis mihi probatur, ab Antonio ficta est. Plus in hac prima parte fuisse, ut cum Viereckio (l l. p. 5 adn) et aliis credam, propter verba: 'γράμματα Καίσαρος' supra inscripta a me non impetro.

Itaque illud ἐπίκριμα triumvirorum, quod commemoratur (B, l. 4), in secunda parte inesse putandum est; atque cum initium senatusconsulti desit, res ita explananda videtur, ut triumvirorum ἐπικρίματος mentio facta sit in ipsorum verbis, quibus illi de rebus Aphrodisiensium rettulerunt in senatu; quod si recte statuimus, ἐπίκριμα triumvirorum in praescripto senatusconsulti (περὶ ὧν οἱ τρεῖς ἄνδρες οἱ . . . . . λόγους ἐποιήσαντο . . . . .), fuit; nisi forte illud ἐπίκριμα omnino scriptum non esse censemus, cum senatus decernat de rebus, quas triumviri τῷ ἰδίῳ ἐπικρίματι προσεμέρισαν, προσμεριοῦσιν, συνεχώρησαν, συγχωρήσουσιν.

Quo anno triumviri de ea re senatum consuluerint, dubium est; verisimillimum videtur illud primo tempore, quo triumviri cum senatu agere poterant, intra finem anni 711/43 (Ihne, R. G. VIII, p. 15) et ineuntem annum 712/42 (Ihne, l. l. p. 50) factum esse; nam libertas a Caesare iam decreta eo senatusconsulto confirmatur.

Impetrata hac senatus sententia Aphrodisienses aliquot annis post de foedere legatos misisse videntur, foedus (ὅρκιον) factum est et lex de foedere sanciendo (νόμος) lata est; nam sicut in inscriptione Mytilenaea (p. 41) senatusconsultum de foedere faciendo (δόγματα περὶ ὁρκίου) servatur, ita hoc loco legis de eadem re ad populum latae mentio fit. Atque hoc foedus, cuius ne minimum quidem fragmentum extat, certe aut eodem tempore aut paulo ante id tempus, quo Antonius has litteras dedit, factum est; sed illud probabilius est.

Libertas igitur Aphrodisiensibus non ante annum 711/43 data est, sed antequam de foedere convenit; neque enim foederis

facti, sed libertatis concessae documentum praebet prior pars inscriptionis servata. Foedus intra annos 715/39 et 719/35 ictum esse videtur, id quod recte monuit Viereck (l. l. p. 5 adn.) citato Mommseni loco (St. R. I³, p. 586).

Huc optime quadrat, quod (CIGr. 2845) Iulia quaedam Paula vocatur: τῶν συναιτίων τῇ πόλει τῆς αὐτονομίας ἀπόγονος.

De eo testimonio libertatis, quod Mommsen (St. R. III, p. 707, a. 2) affert, videas quae dixi p. 12.

[Euromus, Iasus, Pedasus, Bargylia.

Quattuor haec oppida, quae Philippus rex anno 557/197 praesidiis liberare iubetur (Pol. 18, 44 = Liv. 33, 30; Pol. 18, 48), si non antea (Liv. 32, 33, 6), certe anno 587/167 Rhodiorum erant (Pol. 30, 5, 11—15; Liv. 45, 25, 11). Itaque si de libertate (ἐλευθερία) eorum Polybius et Livius ad annum 557/197 verba faciunt, nisi de praesidiis Philippi inde deductis verba non fiunt. Anno 587/167 cum reliqua Caria haec oppida Rhodiis adempta sunt (p. 48).]

27. Mylasa.

Mylasenses, anno 566/188 liberi esse iussi, ne Rhodiis quidem paruerunt (Pol. 30, 5, 11—15; Liv. 45, 25, 11); retinuisse videntur libertatem usque ad Augusti tempora;[1]) nam Plinius (n. h. V, 108) liberam vocat Mylasam.

28. Stratonicea.

Stratoniceae, senatusconsulto Rhodiorum potestati ademptae anno 587/167 (Pol. 30, 22; 31, 7), libertas post primum bellum Mithradaticum confirmata est ex senatusconsulto anno 673/81 facto; cuius documentum vide apud Viereckium (s. g. p. 24, n. 16). Liberam eam vocat Plinius (n. h. V, 109).

De eo libertatis testimonio, quod Mommsen attulit (St. R. III, p. 707, a. 2), vide quae dixi p. 12.

29. Chrysaoricum commune.

Senatusconsultum, in ruinis Tabarum urbis nuper repertum (b. d. c. h. 1889, p. 503), denuo edidit Viereck (Hermes 1890, p. 625). Hic iam recte intellexit, non legatorum seu Romani

¹) p. 4 adn. 2.

magistratus rogationis, id quod prior editor voluit (b. d. c. h 1889, p. 506), sed senatusconsulti partem nobis servatam esse (Hermes 1890, p. 628/629).

In hac parte verba fiunt de rebus bene gestis, deinde de locis attributis. Atque Mommsen, cum hanc inscriptionem denuo tractaret (Hermes 1891, p. 145 sqq.), eo offendebatur, quod autonomia locorum Tabis attributorum ipsis senatusconsulti verbis (v. 10) praedicaretur: hoc enim minime esse e re Tabenorum. Itaque ille tota inscriptione de praemiis in Tabas collatis agi nequire putavit, sed maluit de communi Carum (κοινόν) cogitare, cui a Romanis libertas concessa est. Quod quamquam ex parvis eius inscriptionis fragmentis certe evinci nequit, tamen non improbabilis est Mommseni sententia.

30. Termera

'libera' (Plin. n. h. V, 107).

31. Cos.

Claudius imperator a senatu Cois plenam immunitatem impetravit (Tac. ann. XII, 61), quam antea non habuerunt (Str. XIV, 2, p. 657: τοῦ προσταχθέντος φόρου). Itaque inde ab anno 53 (Tac. l. l.) Cos inter civitates liberas et immunes versatur.

De Augusto contra ipsius edictum Cois ius exilii tribuente (D. Cass. 56, 27) vide p. 7 et adn 2

32. Cnidus.

Anno 706/48 a C. Caesare libera esse iussa Cnidus (Plut. Caes. 48) libertatem retinuit Augusti[1]) temporibus (Plin. n. h. V, 104).

33. Astypalaea

'Liberae civitatis' (Plin. n. h. IV, 71). Sed erat etiam foederata; atque huius foederis fragmenta extant, quae nunc videas apud Viereckium (s. g. p. 42, n. 21); partem emendatam denuo edidit Cichorius (Rh. Mus. 1889, p. 446). Factum est foedus anno 649/105; neque enim vis verbi 'ἀνανεώσασθαι', saepe in foederibus usitati, est: 'foederis renovati', sed 'societatis foedere facto renovatae' (p. 40).

---

[1]) p. 4 adn. 2.

34. Rhodus.

Rhodii populum Romanum in eis bellis, quae ille in Graecia et Asia gesserat, suis opibus adiuverant; sed cum in bello adversus Perseum gesto petulantius a Romanis postulassent, ut de pace cogitarent, eorum in se iram moverunt (Liv. 44, 14, 9). Quare veriti, ne omni libertate spoliarentur (Liv. 45, 25, 7), foedere se cum eis inligari volebant. Quod post Perseum devictum factum est; neque tamen annus certius definiri potest; Mommsen (R. G. I[8], p. 777) anno 590/164 foedus factum putat; cf. etiam Ihne (R. G. III, p. 228/229).

Confirmavit eorum libertatem, cum Asiam provinciam denuo constitueret, L. Sulla (App. Mithr. 61).

Foedus renovatum est anno 703/51 (Cic. ad fam. XII, 15, 2); neque tamen causa, cur hoc factum sit, nobis nota est. Renovarunt iterum Rhodii foedus, ut ait Appianus (b. c. IV, 70): πρὸς Γάϊον Καίσαρα, τῆςδε τῆς μοναρχίας ἡγεμόνα. Atque haec optime congruunt cum verbis senatusconsulti Mytilenaei (Sitz d. Berl. Akad. 1889, p. 955, 956). Nam quod Mommsen (Sitz. p. 978) ex solius C. Caesaris mentione conclusit de tempore senatusconsulti Mytilenaei (p. 39 n. 8), idem de Rhodiorum foedere efficiendum videtur, atque causa, cur Rhodii cum C. Caesare dictatore foedus renovarent, eadem fuit, quae Mytilenaeis renovandae φιλίας καὶ συμμαχίας; nam Rhodii quoque Pompei rebus favisse videntur.

Liberi remanserunt Rhodii (Str. XIV, 2, p. 652; Plin. n. h. V, 132), ademit eis libertatem Claudius imperator anno 43 (D. Cass. 60, 24), reddidit idem anno 53 (Tac. ann. XII, 58; Suet. Claud. 25). Denuo a Vespasiano libertate spoliati esse traduntur a Suetonio (Vesp. 8); de huius loci dubia fide vide p. 59 sqq. Liberam Rhodum vocant Dio Chrysostomus (or. 31, p. 620/621 R.) et Aelius Aristides (I, p. 831 Dind.).

Ex eo nummo, qui extat apud Eckhel (D. N. II, 605 = Head, h. n. p. 542), de tempore nil licet effici.

De Cauno, oppido libero, quod Rhodo, ipsi quoque civitati liberae, tributum pendebat, vide p. 56 n. 35.

35. Caunus.

De Cauniorum statu, quo utebantur in Romanos Rhodiosque, ita variae res sunt relatae, ut diligentius nobis quaerendum sit. Nam Mommsen, qui novissimus de hac re scripsit (St. R. III,

p. 771/772), quamquam de tota re sententiam haud improbabilem protulit, tamen in demonstrando Cauniorum statu Plinii verba (n. h. V, 104) neglexit ideoque hanc rem non satis recte tractasse videtur.

Atque incipiamus a Plinii loco. Hic enim (n. h. V, 104) liberos dicit Caunios; itaque certe prioribus principatus temporibus ei liberi erant.

Iam videamus, quo statu fuerit oppidum ante hoc tempus.

Caunii, a Sulla Rhodiis attributi (Cic. ad Q. fr. I, 1, 33), eis tributum solverunt; sed conquesti de Rhodiorum acerbitate in exigendis pecuniis porro non Rhodiis, sed Romanis solvere malebant.

De eadem re verba facere videtur Strabo (XIV, 2, p. 652): ἀπέστησαν δέ ποτε Καύνιοι τῶν Ῥοδίων · κριθέντες δ' ἐπὶ τῶν Ῥωμαίων ἀπελήφθησαν πάλιν · καὶ ἔστι λόγος Μόλωνος κατὰ Καυνίων = descivere quondam Caunii a Rhodiis, sed iudicantibus Romanis recepti sunt rursus; et extat oratio Molonis adversus Caunios.[1]) Praeclarissima igitur Molonis oratione factum est, ut Romani Caunios Rhodiis redderent, i. e. ut Caunii Rhodiis tributa pendere pergerent.

Iam Augustae aetatis duo extant testimonia de hoc oppido, quae inter se coniungenda videntur, Plinii dico et Strabonis. Ille enim Caunios liberos, hic Rhodiis eos tributa solvere dicit. Itaque Caunus hoc tempore libertate utebatur, immunitate non praedita erat. Sed Romani vectigalia, quae ipsi percipere poterant, Rhodiis concesserunt; atque in hac re ad Mommseni sententiam de locis Rhodo insulae attributis (St. R. III, p. 771/772) accedo.

Iam quaeritur, an inde a Sullae constitutione usque ad Augusti tempora libera fuerit Caunus. De hac re certum iudicium ferri nequit; neque enim ex Strabonis silentio quicquam effici licet; qui cum de rebus Cauniorum verba faciat (XIV, 2, p. 652), nihil affert de libertate eis aut data aut adempta; neque enim

---

[1]) Cum hac Molonis oratione 'κατὰ Καυνίων', quam Strabo laudat, non coniungenda sunt verba Ciceronis (Brut. 312); nam Molo anno 674/80, quo Cicero Sex. Roscium defendebat, a Rhodiis legatus Romam missus est, ut senatus 'praemia' (App. Mithr. 61: συμμαχίας ἀμειβόμενος) a L. Sulla data confirmaret, sicut eodem anno fecerunt Chii (Hicks, a man. of gr. h. inscr. n. 206), Stratonicenses anno antecedente (Viereck, s. g. n. 16, p. 24 sqq.).

hoc loco de ipsius, sed paulo priore aetate loquitur. Sed ne Mommseno quidem (l. l. p. 772, a. 3) assentior, qui ex Cluvi causa (Cic. ad fam. XIII, 56, 3) concludendum censet Caunios a Romanorum magistratibus ius accepisse. Nam Cicero a Thermo, qui pro praetore Asiae praeest, petit, ut inquirat, num vera sint Cauniorum responsa de pecuniis depositis; nam et ex edicto et ex decreto eos pecuniam depositam habere iussos esse. De hac igitur causa iam ex edicto et ex decreto, i. e. a propraetore, fortasse etiam a senatu Romano iudicatum est. Inde Mommsen (St. R. III, 772, a. 3) conclusit Caunios a Romanis magistratibus ius accipere solitos esse. Sed quaequae est condicio eius oppidi, quonam Cluvius, civis Romanus, causam deferre potest, cum omnes Caunios reos faciat? si Caunus provinciale erat oppidum, ad magistratum Romanum, si liberum, ad magistratum aut senatum Romanum. Liberi erant Caunii, ut supra dixi, Augusti aetate; videntur igitur a Caesare aut ab Augusto libertatem accepisse.[1])

Libertate spoliata est Caunus ante id tempus, quo Dio Chrysostomus Rhodiacam orationem habuit. Hic enim (or. 31, p. 633 R.) dicit Caunios non Rhodiis solis inservisse, sed etiam Romanis propter stultitiam et pravitatem animorum parere coactos esse. Videntur igitur Caunii, cum iam a Sullae temporibus Rhodiis inservirent pendendis tributis, post Augusti aetatem, fortasse una cum Rhodiis, libertate (p. 56) privati esse eoque modo duplicem subisse servitutem.

[Orthosia.

Orthosiae ἀτέλεια praedicatur in nummo (Mionnet, d. d. m., S. VI, p. 529, n. 456). Neque tamen apud Headium (h. n. p. 530) hic nummus reperitur; Mommsen quoque (St. R. III, p. 683, a. 1) eum spurium putare videtur. In hac re dubia Imhoof-Blumerum adii, ut mecum communicaret, quid sentiret de hoc nummo. Atque ille benigne mihi respondit, Sestinii auctoritatem, qua sola firmatur hic nummus, plane nullam, nummum ipsum numquam a se visum esse].

---

[1]) **Nisi forte hoc loco Plinii errore libertatis notam additam esse statuere mavis. Hoc ut adderem, monuit O. Hirschfeld.**

Adiecta est disputatio de Suetonii loco, qui est in capite octavo vitae divi Vespasiani.

Suetonii locum (Vesp. 8), quem secuti sunt, ut monuit Mommsen (ad: Borghesi, oeuvres III, p. 272, a. 3), Eutropius (VII, 19), auctor epitomae de Caesaribus (9), Rufius Festus (brev. X), Hieronymus (ad Eus. chron. p. 159: Schöne), Orosius (adv. pag. VII, 9, 10), non omni modo fide dignum esse recte iam intellexerunt viri docti; causas dubitandi attulit Marquardt (St. V. I^2, p. 313, a. 8), alias Kuhn (V. d. R. R. II, p. 49, a. 355), alias mox ipse addam.

De Turnebi coniectura (adv. 24, 36), quam Marquardt (l. l.) sequendam censet, scribentis 'Trachiam Ciliciam' pro: 'Thraciam, Ciliciam', id quod parum probatur, postea dicendum erit; nunc textum traditum retineamus.

Itaque singulas res pertractemus ea ratione, ut Suetonii fidem ac diligentiam evincamus et ex suis et ex aliorum testimoniis.

Achaia certe a Vespasiano libertate privata est (Paus. VII, 17, 2, alii; Hertzberg, Gesch. Gr. II, p. 127—130).

Lycia libertate privata est (Suet. Claud. 25; D. Cass. 60, 17) anno 43 (D. Cass. l. l.). De libertate reddita nec Suetonius neque alii rettulerunt; de libertate denuo adempta a Vespasiano nemo praeter Suetonium (l. prop.).

Rhodus libertate privata est anno 44 (D. Cass. 60, 24; nil de ea re Suetonius rettulit); reddita est libertas ab eodem Claudio (Tac. ann. XII, 58; Suet. Claud. 25) anno 53 (Tac. l. l.). Libertatem denuo eis ademptam esse nemo praeter Suetonium (l. prop.) narravit; sed liberi vocantur Rhodii ab Aristide (I, p. 831 Dind.).

De Byzantii libertate erepta nemo praeter Suetonium (l. prop.) rettulit, ex Dionis Chrysostomi verbis (or. 31, p. 620 R.) nil concludi licere monuit Kuhn (l. l.); ne Plinii quidem verbis (ad Trai. 43, 44 [52, 53]) uti possumus; neque enim inde certi quicquam evincitur de libertate Byzantii. Sed fuit liberum Septimii Severi tempore (D. Cass. 74, 14).

Samus insula, quo tempore libertatem, qua inde ab anno 734/20 utebatur (p. 46), perdiderit, nullum praeter Suetonii locum propositum testimonium extat.

De Thracia anno 46 in provinciae formam redacta Eusebius (chron. p. 153: Schöne) rettulit; cf. de ea re Marquardtium (St. V. I^2, p. 313); nemo, ne Suetonius quidem, de reddita aut regibus aut libertati Thracia, nemo praeter Suetonium (l. prop.) de libertate iterum adempta verba fecit.

Si 'Ciliciam et Commagenen, regiae usque ad id tempus dicionis' idem valere putamus ac regnum Antiochi regis (Borghesi oeuvr. III, p. 273/274), Suetonius (l. prop.) congruit cum Iosepho (bell. VIII, 7).

Iam summam faciamus de huius loci fide.

Recte se habent res de Achaia et de Cilicia cum Commagene coniuncta narratae; nil constat de Samo, dubia est res de Byzantio. Falso tradidit Suetonius de Thracia, parum accurate de Lycia, parum diligenter, fortasse etiam falso de Rhodo.

Thracia subacta certe Claudio tribuenda est, idem de Lycia videtur; Rhodiis ademptae libertatis mentio ipsa quoque requiritur in vita divi Claudii. Atque has tres res Suetonius uno loco tradere debuit; nam cum non chronologiam secutus res enarret, sed similes inter se componat (ut Claud. 25: Lycia a. 43, Rhodus a. 53), omnes has res referre debuit in capite 25 vitae divi Claudii.

Hoc igitur loco Suetonius res similis argumenti et a Claudio et a Vespasiano gestas miro modo confudisse videtur, ut pars earum rerum, quas Vespasiano addicit, Claudio attribuenda sit.

Quod si recte conieci, certe Lycia (a. 43), Rhodus (a. 44), Thracia (a. 46) vitae Claudii cap. 25 attribuendae sunt, de Byzantio et Samo licet dubitari.

Causam, unde Suetonii error natus sit, certam afferre nequeo; hoc moneo: uterque Suetonii locus incipit ab Achaiae statu mutato; an inde Suetonius aberrare potuerit, dubium relinquam. Hoc tamen constat, non adeo huic loco (Vesp. 8) fidem tribuendam esse, ut e. g. cum Treubero (Gesch. d. Lykier, p. 208) propter hoc unius Suetonii testimonium Lyciis a Nerone aut a Galba libertatem redditam esse putemus.

Ex eis verbis, quae modo feci, iam intellegitur fore, ut, si Turnebi (l. l.) et Marquardtii (St. V. I^2, p. 313, a. 8), coniecturam supra dictam acciperemus scribentis: 'trachiam Ciliciam' pro:

'Thraciam, Ciliciam', non omnes huius loci difficultates solverentur. Sed per se quoque coniectura improbabilis est. Nam, quas causas Marquardt affert, tres sunt:

primum recte Thraciam iam ante Vespasiani regnum provinciam fuisse statuit;

deinde Ciliciam, quae ἡ πεδιὰς vocatur, iam circa annum 650/104 provinciam factam esse. Sed ea Ciliciae pars, quae ἡ τραχεῖα vocatur, una cum Commagene sub Vespasiano Antiocho regi adempta est (Ios. bell. VII, 7), Cilicia et Commagene voce: 'et' coartatae et de Thracia separatae, coniunctae unum efficiunt regnum Antiochi; atque est haec Suetonii Cilicia ea, quae erat regiae dicionis usque ad id tempus;

postremo Marquardt, cum a se non impetret, ut Hieronymum (ad Eus. l. l.) sibi ipsum contradicere duobusque locis de Thracia provincia facta narrare credat, non videt idem a se Suetonio tribui; quem cum de Lycia subacta bis (Claud. 25, Vesp. 8) diversis temporibus narrare velit, nonne hoc maiore iure Hieronymo tribui potest?

Huc accedit, quod vox 'trachia', quam in uno Hieronymi codice extare Marquardt ipse concedit, nunquam reperitur apud Latinos scriptores; nam, quem solum locum affert Forcellini (lex. tot. lat. s. v. trachia), is hoc verbum inusitatum esse apud Latinos demonstrat; nam addit ipse Macrobius (7. sat. XV, 2), ut graecam vocem: ἀρτηρίαν explicet: 'quae trachia dicitur'. 'Trachia' vero 'Cilicia' nusquam reperitur.

Turnebi igitur Marquardtiique coniectura reicienda videtur, cum per se improbabilis sit neque omnes dissolvat difficultates.

Bithynia et Pontus.

Bithynia testamento Nicomedis regis anno 680/74, Pontus anno 689/65 Mithradate pulso provincia Romana factae sunt. De reliquis huius provinciae partibus vide Marquardtium (St. V. I², p. 349). In enarrandis civitatibus liberis Marquardt plane pendere videtur de Schoenemanno (de Bithynia et Ponto, prov. Rom., p. 97—99), qui hanc dissertationis partem non ita diligenter tractavit.

1. (Cius-) Prusias.

De discrepantia seu nominum seu urbium Cii et Cieri cf. Tzschucke (ad. Pomp. Mel. I, 19, 4). Strabo (XII, 4, p. 564) sine dubio verba facit de Cio urbe, quae a Philippo V, Macedonum rege, expugnata a Prusia denuo extructa mutato nomine Prusias appellata est (Str. l. l. p. 563). Eiusdem Cii mentio fit apud Livium (33, 30, 4; cf. Weissenborn a. h. l.).

Atque Polybius (18, 44, 5 = Liv. 33, 30, 4) T. Quinctium de Cianorum libertate ad Prusiam regem scribere in animo habere narrat. Nam Cius, antequam Philippus eam cepit, libera fuit (Reinach, Mithr. Eup. p. 7); itaque cum Graeca urbs esset, T. Quinctius eius tutelam libenter suscepit. Ac quamquam aliunde notum non est, quid Prusias Romanis responderit, tamen probabile videtur eum precibus Romanorum obsecutum esse. Eandem sententiam causis non allatis Weissenborn (ad Liv. l. c.) laudat; quam causam Faber (quaest. Prop. I, p. 12) profert, ea parum probatur; nam, cum dicat: 'cum Prusiae regi omnino a nutu Romanorum pendenti vix profuturum fuisset, si Prusiensibus libertatem detrectavisset', confundere videtur inter se Prusiam I et II.

Romani Prusiensibus, quia benevolo erga ipsos animo usi essent, libertatem dederunt seu reliquerunt (Str. XII, 4, p. 564).

Quod Faber (l. l. p. 13) dicit, ex inscriptione (CIGr. 3726) se suspicari liberos fuisse Cianos, non intellego; causas ipse non affert.

2. Byzantium.

Antequam Romani in Graeciam et Asiam transgressi sunt, liberi fuerunt Byzantini (Mommsen, R. G. I^8, p. 693); sicut Rhodii, Romanorum partes secuti sunt in bellis adversus Philippum (Mommsen, l. l. p. 704) et Perseum (Mommsen, l. l. p. 765) gestis. Nam confundit inter se Tacitus (ann. XII, 62) Philippum regem et Pseudophilippum, cum dicat: '(Byzantini) orsi a foedere, quod nobiscum icerant, qua tempestate bellavimus adversus regem Macedonum, cui — Pseudophilippi vocabulum impositum; missas posthac copias in Antiochum, Persen, Aristonicum et piratico bello adiutum Antonium memorabant.' Nam et chronologica ratio obstat, ne Pseudophilippus nominetur — Nipperdeyi (ad h. l.) explicatio verbi: 'posthac' haud scio an artificiosior quam verior est — et Diodorus (fr. 32, 15, 6) plane

contrariam rem narrat. Hoc foedus, a Tacito laudatum, inter Romanos et Byzantinos circa annum 554/200 factum est hostis propulsandi causa; itaque ob hanc rem Byzantini non recensentur inter populos foederatos (p. 5).

Qualis fuerit poena, quam Byzantini subierunt propter auxilium Andrisco missum (Diod. l. l.), non traditur; fortasse tum libertate privati Macedoniae provinciae adiecti sunt. Haec enim sunt Ciceronis verba (de prov. cons. 7): '(Byzantium) civitas libera et pro eximiis suis beneficiis a senatu et a populo Romano liberata'. Atque quamquam ita concludatur necesse non est, tamen ex voce: 'liberata' colligi licet, fuisse tempus, cum Byzantium libertate non uteretur.

Haec sententia confirmatur alio Ciceronis loco (Verr. II, 2, 76), quo ille Byzantii liberandi tamquam rei tum instantis nec-dum peractae mentionem facit. Haec enim sunt Ciceronis verba: 'Retinete, retinete hominem (scil. Verrem) in civitate, iudices, parcite et conservate, ut sit, qui vobiscum res iudicet, qui in senatu sine ulla cupiditate de bello et pace sententiam ferat. — — Verum veniat sane, decernat bellum Cretensibus, liberet Byzantios, regem appellet Ptolomaeum'. Reliquae res, quas simul Verri decernendas proponit Cicero, tum nondum perfectae erant. Nam Ptolomaeus rex, quamquam iam diu de eo agebatur (Mommsen, R. G. III[8], p. 162), non ante annum 695/59 rex appellatus est (Mommsen, l. l. p. 163); de Cretae rebus ipso anno 684/70 in senatu actum est (Mommsen, l. l. p. 80).

Quod si recte statuimus, iam non libera fuit Byzantium anno 684/70; itaque intra annos 684/70 et 698/56 (Cic. de prov. cons. 7) libertatem recuperavit.

Libertatis testis est Plinius (n. h. IV, 46); libertate eos a Vespasiano spoliatos esse tradit Suetonius (Vesp. 8); de huius loci dubia fide iam supra verba feci (p. 59—61).

Dio Chrysostomus (or. 31, p. 621/622 R.) Byzantinos inter liberos populos recenset; nihil certi effici licet ex Plinii epistulis (ad Trai. 43, 44 [52, 53]; 77, 78 [81, 82]).

Septimius Severus, cum principatum susciperet, libertate et iure civitatis privavit Byzantium (D. Cass. 74, 14; Herod. III, 6, 9); Hesychii Milesii verba (FHG. IV, p. 153) non satis di-lucida idem significare videntur.

Aelii Spartiani (v. Carac. 1) verba: 'Antiochensibus et Byzantiis interventu suo iura vetusta restituit, quibus iratus fuit Severus, quod Nigrum iuverant' ita interpretanda videntur, ut Perinthiorum potestati (D. Cass. l. l.) rursus eximerentur Byzantini; iura enim vetusta ius civitatis, τὸ ἀξίωμα τὸ πολιτικόν (D. Cass. l. l.), τὰ πολιτικὰ δίκαια, qualia vocat Hesychius (l. l.), esse videntur. De libertate nil praeterea scimus.

3. Calchedon

'libera' (Plin. n. h. V, 149).

[Heraclea Pontica.

Heracleotae 'liberi' (Pol. 25, 2, 13; Str. XII, 3, p. 542) in bello Antiocheno cum Romanis foedus icerunt: μὴ φίλους εἶναι μόνον, ἀλλὰ καὶ συμμάχους ἀλλήλοις, καθ' ὧν τε καὶ ὑπὲρ ὧν δεηθεῖεν ἑκάτεροι (FHG. III, p. 539). Neque tamen ob hoc foedus cum Hertzbergio (Gesch. Gr. I, p. 393) et Kuhnio (V. d. R. R. II, p. 140 a. 1077) habemus, cur Heracleam inter civitates foederatas, quae vocantur, recenseamus (v. supra p. 5).

Devicto Mithradate, quem secuti erant (FHG. III, p. 545) Heracleotae, cum Romanae dicionis fierent, nunquam libertatem ab eis perpetravere (Str. XII, 3, p. 542/543; FHG. III, p. 558).

Itaque in numero civitatium liberarum non est habenda Heraclea Pontica.]

4. Sinope.

Lucullus Sinopen captam circa annum 684/70 (Mommsen, R. G. III[8], p. 64) liberam esse iussit (App. Mithr. 83), a Pharnace expugnatam Cn. Domitius iussu Caesaris anno 707/47 iterum cepit (App. Mithr. 120); num urbs tum libertatem recuperaverit, nescimus.

Strabo (XII, 3, p. 546) Sinopen colonos Romanos deductos esse narrat, coloniam eam vocat Plinius (n. h. VI, 6); in nummis (Head, h. n. p. 435) vocatur: C(olonia) I(ulia) F(elix) S(inope), saepe addito Au(gusta). Aera urbis incipit ab anno 709/45 (Head, l. l.); quae cum certe Romana sit — nam vox: 'anno' praemittitur —, anno 709/45 Caesar coloniam eo deduxit; Augusti nomen urbi postea additum est.

5. Amisus.

Lucullus Amisum urbem captam (FHG. III, p. 550) libertate donavit (App. Mithr. 83) circa annum 684/70 (Mommsen,

R. G. III[8], p. 64); expugnatae a Pharnace urbi (Str. XII, 3, p. 547) libertatem restituit C. Caesar anno 707/47 (D. Cass. 42, 48; Str. l. l.).

Ab Antonio urbs tyrannis tradita ab Augusto post pugnam Actiacam in libertatem restituta est (Str. l. l.). Quocum certare videtur aera Amisena incipiens ab anno 721/33 (Head, h. n. p. 425); neque tamen semper aera urbis cum libertate data coniungenda videtur; recte fortasse Cuntz (J. f. cl. Phil. 17. S. p. 505, a. 6) monuit hoc anno Amisum — tyranno expulso — provinciae additam et post pugnam Actiacam liberam esse iussam.

Liberam Amisum vocat Plinius (n. h. VI, 7).

Quo tempore Amiseni cum Romanis foedus fecerint, ignotum est; neque ex Cassii Dionis verbis (42, 48) quicquam concludi licet; dicit enim ille: (Caesar) τὴν χώραν, ὅσην τῶν τε Ῥωμαίων καὶ τῶν ἐνόρκων σφίσιν ἀποτετμημένος ὁ Φαρνάκης ἦν, eis reddidit et Amisenis libertatem tamquam praemium dedit. Nam οἱ ἔνορκοι, quorum in numero Amiseni quoque versari possunt, non sunt 'civitates foederatae', sed socii Romanorum reges et populi. Recte enim Mommsen (St. R. III, p. 654, a. 3) monuit 'ἔνσπονδος' non ita proprio sensu a Dione adhiberi solere pro verbo: 'foederatus'; idem de voce: 'ἔνορκος' dicendum est, atque Dionis hic locus Appiani et Polybii, quos Mommsen (l. l.) affert, adici potest.

Foederati erant Amiseni Traiani imperatoris temporibus (Plin. et Trai. ep. 92 [93] et 93 [94]). Atque extant nummi (Head, h. n. p. 425), imperatorum temporibus cusi, quibus Amiseni liberi praedicantur, etiam argenteorum copia Hadriani et Antonini Pii temporibus signata.

6. Trapezus

'liberum' (Plin. n. h. VI, 11). Ceterum postea Cappadociae fines ita mutati sunt, ut Trapezus non Ponti, sed Cappadociae provinciae urbs fieret (Mommsen, R. G. V[3], p. 306).

Regnum Bosporanum.

Historiam regni Bosporani nuper conscripsit Latyschev (inscr. ant. or. sept. Pont. Eux. II, p. XV sqq.); de statu huius regni inde a Mithradatis Eupatoris aetate vide l. l. p. XXXIII sqq..

1. Phanagorea.

Cn. Pompeius Phanagoream et a Pharnace et a Romanis anno 691/63 liberam esse iussit (App. Mithr. 113); oppidum paulo post a Pharnace denuo expugnatum esse haud improbabiliter coniecit Latyschev (l. l. p. XXXV).

2. Heraclea Chersonesus.

Chersonesitae liberi (Pol. 25, 2, 13), ut ipsos a barbaris circumiacentibus defenderet, Mithradati Eupatori se tradiderunt eiusque successoribus paruerunt Strabonis aetate (Str. VII, 4, p. 308/309).

Libertate a Romanis donatam esse Heracleam Chersonesum tradit Plinius (n. h. IV, 85); libertatis testes sunt et ei nummi, qui extant apud Headium (h. n. p. 238), sine ullo temporis indicio[1]), et unus, qui servatur in museo Britannico (a cat. of gr. coins in the Br. Mus.: The Tauric Chers. p. 3, n. 11), inscriptus: Θ ΕΡΑC.

Iam quaerendum est, quo tempore Chersonesus liberata sit.

Atque Boeckh aeram Chersonesitanam computandam esse monuit ex verbis inscriptionis (CIGr. 8621): ἔτους φιβ, ἐν ἰνδ(ικτιῶνι) ιδ, regnante Zenone. Imperium tenebat Zeno inde ab anno 474 usque ad annum 491; itaque indictio quarta decima, quae erat eius regni tempore, aut:

inde a Kal. Sept. 475 — prd. Kal. Sept. 476 aut: inde a Kal. Sept. 490 — V Id. Apr.[2]) 491 fuit. Intra hos igitur terminos inscriptio posita est.

Recte hoc Boeckh (CIGr. II, p. 90) exposuit; aera igitur Chersonesitana aut ab anno 718/36 aut ab anno 733/21 incipit.

Hac aera libertatis initium significari Boeckh (l. l.), quem Cuntz (J. f. cl. Phil. S. 17, p. 506, a. 4) sequitur, iudicavit, nisus contra Strabonis verba (VII, 4, p. 308/309) testimonio Plinii (n. h. IV, 85). De quo nunc agendum erit.

Dicit enim Plinius: 'Heraclea Chersonesus libertate a Romanis donatum'. Atque haec est singularis dicendi ratio apud Plinium; neque enim unquam ille in quattuor libris geographicis

---

[1]) duos nummos, Caesaris et Augusti capita praebentes, a Chersoneso abiudicavit v. Sallet (Z f. Num. I, p. 27; 31).

[2]) de die mortis Zenonis vide: Gibbon, a hist. of the decline and fall of Roman empire (II, p. 2).

(III—VI) praeter: 'liberum', 'liberum oppidum', 'liberae condicionis' quicquam addere solet de condicione urbium liberarum; sed quidquid in his libris exilis Pliniani sermonis modum transgreditur, postea additum videtur, ut (IV, 22) Achaiae libertas a Nerone data, (III, 30) Latium universae Hispaniae a Vespasiano datum, (V, 20) verba Caesareae, Icosio, Rusucurio oppidis adiecta.

Iam cum hoc Plinii testimonio libertatem non ad Augusti tempora referri necesse videatur, Straboni fidem, quam Boeckh (CIGr. II, p. 90) ei detraxit, reddere malim; quid sit sentiendum de aera Chersonesitana, postea videbimus. Itaque Chersonesus usque ad Strabonis aetatem Bosporanis regibus paruit.

Haec constare videntur; reliqua, quae mox afferam, probabilitatis modum non excedunt.

Extat titulus (CIL. XIV, 3608), positus in honorem T. Plautii, Moesiae legati, qui Scythas ab obsidione Chersonesi urbis removerit. Iam videmus ex eo titulo, non regem Bosporanum, sed ducem Romanum aut sua sponte aut, id quod probabiliter coniecit Latyschev (b. d. c. h. 1885, p. 274/275), precibus Chersonesitarum obsecutum eis subsidio venisse. Atque eius opera factum est, ut Scythae ab obsidione urbis desisterent. Iam habemus, quo quadrare possint Plinii verba. Nam primum gesta est haec res non ita multo ante quam Plinius scripsisse putandus est, circa annum 57 (Dessau ad CIL. l. l.), deinde Chersonesus revera 'a Romanis' libertate donata est; nam per se mirum videtur, cur additum sit, libertatem eis a R o m a n i s datam esse, cum nullam civitatem liberam afferre Plinius in animo habeat, cui non populus Romanus libertatem permiserit. Iurgieviczii sententia, qui propter verba: 'a Romanis' non de imperatorum, sed liberae reipublicae Romanae temporibus agi putat (cf. Latyschevium in: b. d. c. h. 1885, p. 271), haud probanda videtur; sed, cum in bello, quod Scythae gesserunt adversus Chersonesum urbem, Romani ducis interventu libertas Chersonesitanis firmata sit, facile intellegitur, cur Plinius addiderit ipsa verba: 'a Romanis'. Accedit, quod ex titulo ipso docemur hanc rem Vespasiani aetate satis notam dignamque, quae memoriae proderetur, visam esse; nam ipsius Vespasiani laudationis verba in titulo (v. 32—35) afferuntur.

Iam si hoc recte statuimus, quid inde lucramur de libertate Chersonesi?

Quo tempore Plautius Scythas interventu[1]) suo ab obsidione removebat, Chersonesitae regibus iam non paruisse videntur;[2]) nam regum, non Romanorum fuerat, huic urbi auxilio venire; sed Scytharum incursionibus aut antea aut tum demum factum est, ut Chersonesitae a regno Bosporano soluti libertate fruerentur; Scythis ne parerent, Romani impediverunt. Itaque aut anno 57 aut paulo ante in libertatem vindicati sunt Chersonesitae, certe non ante Strabonis aetatem, qui (VII, 4, p. 308/309) eos Bosporanis regibus subiectos esse tradit.

Aliam inscriptionem, qua agitur de libertate Chersonesitana, edidit Latyschev (b. d. c. h. 1885, p. 270 = inscr. ant. or. sept. Pont. Eux. I, n. 199). Titulus, quem Chersonesitae Aristoni civi bene merito posuerunt, quo tempore positus sit, ambigitur; hoc tenendum est, Aristonem legatum ad imperatorem Romanum missum per sex annos id egisse, ut libertatem Chersonesitanam servaret (ὑπέρ, non περὶ τᾶς ἐλευθερίας), deinde infecta re (ἀπο[κ]αμόντα) discessisse. Posthac — nam chronologica ratio in hoc titulo adhiberi videtur — ad regem Rhoemetalcem ivit et cum eo foedus fecit (ἐπιτετε[υ]χότα).

Iam quaeritur, quisnam sit ille Rhoemetalces, quisnam ὁ θεὸς Σεβαστός. Mommsen (in: Loewy, Inschr. gr. Bildh., n. 337) τὸν θεὸν Σεβαστὸν esse divum Augustum arbitratus de Rhoemetalce, Thracum rege (Mommsen, eph. ep. II, p. 254, n. 5), cogitavit.

Aliter de tempore inscriptionis iudicavit Jurgievicz (cf. Latyschevium in: b. d. c. h. 1885, p. 270 sqq.); ille enim, cum nisi de Bosporano rege Rhoemetalce, regnante intra annos 131 et 153 (Latyschev, inscr. ant. or. sept. Pont. Eux. II, p. XLVIII), non cogitandum esse censeret, τὸν θεὸν Σεβαστὸν divum Hadrianum esse putavit, sed obstat, quod huius usus vocis: Σεβαστός nullum exemplum afferri potest. Itaque Mommseni sententia potius sequenda videtur. Iam habemus duas inscriptiones eadem fere aetate positas, quibus de libertate Chersonesitana agitur aut

[1]) dubium, num cum exercitu ipse adfuerit; optime Mommsen (R. G. V[2], p. 198) vertit: „bestimmte er, abzustehen v. d. Belagerung".

[2]) ceterum cf. ea, quae v. Sallet (Z. f. Num. IV, 273—277) exposuit de nummo Chersonesitano: BACIΛE(V)OVCHC, eodem fere tempore cuso.

agi videtur, alteram (CIGr. 8621), qua acram ab anno 718/36 incipere, alteram (Latyschev, inscr. s. l. I, n. 199), qua libertatem ab Augusto non servatam esse edocemur. Quae quomodo inter se coniungendae videantur, nunc explicandum est.

Aeram urbis a libertate data incohare, quamquam non certa, tamen haud improbabilis est sententia. Itaque, siquidem anno 718/36 Chersonesitas liberos iussos esse putamus, vix de alio duce Romano ac de M. Antonio triumviro cogitari potest, qui tum Orienti praeerat. Hunc Ponti et regni Bosporani rebus consuluisse praeter M. Antonii Polemonis, Ponti regis, nomen docent nummi Asandri, Bosporani regis, qui Antonii effigiem praebent (Latyschev, inscr. s. l. II, p. XXXVII). Itaque si ab Antonio, cum Bosporanis rebus prospiceret, Chersonesitis libertatem datam esse coniciemus, a vero non aberrare videbimur. Accedit quod eodem anno (718/36) Polemo ab Antonio Ponti rex factus esse videtur (v. Sallet, Beitr. z. Gesch. u. Numism. d. Kge. d. Cimm. Bospor. u. d. Pontus, p. 34; p. 59, a. 101).

Rescissis post Antonii mortem eius actis iam Caesar filius, cum Orientis res rursus ordinaret, non habebat, cur Heracleae libertatem ab Antonio datam servaret; immo vero eos Bosporanis regibus denuo subiecisse videtur. Quocum optime quadrant verba tituli Aristonis, civis Chersonesitani (Latyschev, inscr. s. l.). Hic enim ad Augustum (Σεβαστόν) missus est ὑπὲρ τᾶς ἐλευθερίας, scilicet, ut libertatem eis servare conaretur; neque tamen id, quod in animo habebat, perfecit, sed de re desperans (ἀπο[κ]αμόντα) discessit.

Quod si recte statuimus, Chersonesus Heraclea anno 718/36 ab Antonio in libertatem vindicata paulo post pugnam Actiacam eam amisit; quod quo anno factum sit, ignoramus. Strabonem de his rebus intra parvum temporis spatium mutatis nil commemorare mirum non est; itaque ea re vis eius verborum (v. supra p. 66) non infringitur. Circa annum p. Chr. n. 57, id quod supra (p. 67) probare studui, Heraclea Chersonesus libera esse iussa libertatem retinuit, quantum nos scimus, usque ad Constantini Magni aetatem (Const. Porph. de adm. imp. p. 250/251: Bekker), quamquam, quae sit ea aetate libertas civitatium liberarum, manifestum fit eodem loco; nam pergit Constantinus Porphyrogenitus Chersonesitas, cum eis libertas immunitasque concederetur, ea ipsa re γνησίους ὑπηκόους populi Romani factos esse.

Lycia et Pamphylia (et Pisidia).

1. Lycia.

Antiocho devicto Lycii, ex decem legatorum consilio Rhodiis dati (Pol. 21, 24, 7 = Liv. 37, 55, 5; App. Syr. 44), anno 587/167 liberi pronuntiati sunt (Pol. 30, 5, 12; App. Syr. 44; Mithr. 62). Qualis fuerit inde ab illo tempore status Lyciorum, dubitatur. Mommsen (CIL. I, n. 589) ante primum bellum Mithradaticum nondum in formam 'communis' (κοινόν) Lycios consociatos esse neque a Romanis 'liberae civitatis' iura accepisse putat; sed idem (St. R. III, p. 670, a. 3) aliam eamque probabiliorem sententiam exhibet, cum dicat: „Der Senat erklärt sie für frei und dabei bleibt es“ (cf.: Treuber, Gesch. d. Lykier, p. 167 sqq.).

De tituli tempore, quem posuit Λυκίων τὸ κοινόν (Kaibel, Inscr. Gr. Sic. et Ital., n. 986), optime disseruit Mommsen (Z. f. Num. XV, p. 213); unde ea, quae Treuber (l. l. p. 167, a. 1) dixit, quamquam a Reinachio probantur (rev. num. 1888, p. 250, a. 2), vana fieri videntur.

Confirmavit libertatem Lyciis Sulla confecto primo bello Mithradatico (App. Mithr. 61); Marquardtii (l. l. p. 75, a. 10) sententiam, qui ex Philostrati verbis (v. soph. II, 26): 'ὑπὲρ συμμαχίας — παλαιᾶς' de foedere inter Romanos et Lycios facto conclusit, recte refutavit Treuber (l. l. p. 170, a. 2).

Antonius, cum adversus Cassium et Brutum bellum gereret, omnibus Asiae oppidis, etiam liberis civitatibus (id quod Appianus addit), tributa imposuit (App. b. c. V, 6); sed Lyciis, quia bello a Bruto valde vexati erant, tributa remisit (App. b. c. V, 7: ἀτελεῖς φόρων ἀφιείς). Ex his Appiani verbis Treuber (l. l. p. 170, a. 1) conclusit fieri potuisse, ut Lycii antea populo Romano pecuniam solverent; sed plane contrariam rem inde effici necesse est; nam cum liberi sint Lycii (App. Mithr. 61), inter eas versantur civitates, quibus Antonius tributum imposuit (App. b. c. V, 6) contra solitum Romanorum morem; itaque antea Lycii immunes fuisse putandi sunt.

Lycios inde a Romanorum in Asia dominatu usque ad sua tempora liberos mansisse testatur Strabo (XIV, 3, p. 665).

A Claudio imperatore libertate illi privati anno 43 (D. Cass. 60, 17; Suet. Claud. 25) Pamphyliae provinciae adiecti sunt (D. Cass. l. l.). Quid sit iudicandum de Suetonio (Vesp. 8) denuo narrante Lycios libertate privatos esse, inspicias p. 59 sqq.

Pamphyliae orae maritimae pars Attalicorum regum fuisse videtur propter nomen urbis Attaliae (Mommsen, R. G. V³, p. 307, s. f.); itaque testamento Attali regis Romanae dicionis facta, quo statu usa sit, dubium est. Augusti aetate Pamphylia ipsa provincia fuit (Mommsen, R. G. V³, p. 309).

Superior pars Pamphyliae, quae erat montana (Str. XII, 7, p. 569), sicut Pisidia, Antiocho paruisse non videtur (Mommsen, l. l. p. 307/308); itaque liberi remanserunt hi populi, donec Antonius eos domandos Amyntae tradidit (Str. XII, 6, p. 569; D. Cass. 53, 26); qui quantum profecerit, discas ex Strabone (l. l.). Post Amyntae mortem, anno 729/25, Augustus, qui ipse has regiones pacandas suscepit (D. Cass. 53, 26), Galatiae praefecto imperavit, ut, quantum posset, eos intra suos fines contineret (Mommsen, R. G. V³, p. 309).

2. Thermessus maior.

Extat (CIL. I, 204) lex Antonia, non multo post Kal. Apr. anni 682/72 ad populum lata (Mommsen ad CIL. l. l.), qua Thermessibus libertas a populo Romano conceditur. Atque ab hoc tempore Thermesses maiores in civitatium liberarum numero sunt. Neque enim cum Marquardtio (St. V. I², p. 364, a. 8) consentio, qui iam anno 565/189 Thermessibus libertatem a Romanis permissam esse dicit. At Cn. Manlius, cum Lindae urbis legati peterent, ut ipsos a Thermessium vexationibus defenderet (Pol. 21, 35 = Liv. 38, 15), adversus eos castra movit, sed pecunia accepta συνέθετο φιλίαν. Neque tamen haec φιλία ita interpretanda est, ut Manlius tum libertatem eis concesserit; neque enim eos aut suae dicionis fecerat aut omnino Romanis subicere in animo habebat; immo vero ea erat huius amicitiae lex, ut Manlius a bello Thermessibus inferendo desisteret. Male Polybii verba vertit Livius (38, 15, 6): 'pacem dedit'.

Libertatis testimonia praebent nummi imperatorum temporibus cusi (Head[1]), h. n. p. 593 et Le Bas-Waddington, voy. arch. III, expl. n. 1202).

3. Selge.

Selge neque regibus neque ulli genti paruerat (οὐδ' ἅπαξ ἐπ' ἄλλοις ἐγένοντο: Str. XII, 7, p. 571), a Romanis quoque sub certis condicionibus (ἐπὶ τακτοῖς τισι) terram suam habebat (Str. l. l.). Itaque ab hoc tempore, quod ex Strabonis verbis certius definiri nequit, inter liberas civitates Selge versatur. Sed Strabonis aetate (νῦν δέ) Selgenses libertatem perdiderunt et 'ὑπήκοοι τελέως' facti sunt.

Cilicia.

Ciliciae prima pars anno 652/102 provincia facta est (Marquardt, St. V. I², p. 380; Mommsen, R. G. II⁸, p. 133), ultima anno 74 (Marquardt, l. l. p. 384). De regibus, qui partes quasdam Ciliciae tenebant permissu populi Romani, cf. Marquardtium (l. l. p. 384—386).

1. Seleucia ad Calycadnum sita.

Seleucia Archelao regi subiecta non fuit, ac neque Amyntae neque Cleopatrae, quibus antea Ciliciam asperam dederat Antonius, paruisse videtur (Str. XIV, 5, p. 671). Itaque iam hoc tempore Seleucia libera fuisse putanda est; imperatorum temporibus extant nummi (Head, h. n. p. 610), ἐλευθέρας signati.

2. Sebaste (= Elaeussa).

Sebaste latrociniis aptissima, ne ab inermi Romanorum legato teneretur, Archelao, Cappadociae regi, data est (Str. XII, 1, p. 534/535; XIV, 5, p. 671). Post eius mortem Sebaste, sicut reliqua Cilicia aspera, eius cognatis paruisse videtur (Marquardt, St. V. I², p. 384, a. 4), deinde Antiocho, Commagenae regi, eam subiectam fuisse concluditur ex nummis Sebastenis, qui eius regis caput praebent (Babelon, les rois de Syrie, p. 220,

[1]) quem nummum Head (l. l.) affert: 'ελευθερα τερμεσσε η το κατους εχουσα', recte Ramsay (amer. journ. of arch. IV, p. 9) explicuit: ἡ το' κάπους ἔχουσα. Neque est, cur cum Vauxio (num. chron. XIX, p. 3) miremur de doricae linguae forma in nummo oppidi Pisidiae; alia enim Pisidiae urbs, Selge (Str. XII, 7, p. 570), fortasse Sagalassus quoque (Head, h. n. p. 592) a Lacedaemoniis originem ducit.

n. 28/29; Marquardt, St. V. I^2, p. 384, a. 10). Etiam postquam Antiochus a Vespasiano regno spoliatus est, Sebasten tenuit Alexander rex, Antiochi gener (Ios. ant. XVIII, 5, 4). Traiani tempore civitas libera erat, siquidem recte se habet nummus, quem praebet secundum Sestinium Mionnet (d. d. m., S. VII, p. 294, n. 563). Nummos, qui inde a Commodi tempore libertati Sebastenae testimonio sunt, praebent Eckhel (D. N. III, 81/82) et Mionnet (d. d. m. III, p. 660, n. 632 sqq.); cf. Headium (h. n. p. 610).

3. Tarsus.

Paulo post pugnam ad Philippos factam Tarsus ab Antonio libertatem et immunitatem accepit (App. b. c. V, 7), ea de causa, ut videtur, quia urbs contra Cassium steterat (Cic. ad fam. XII, 13, 4); Dio Chrysostomus (or. 34, p. 36 R.), qui hoc ab Augusto factum esse narrat, tamen eandem causam significare videtur quam Appianus; nam τὸ δι' ἐκεῖνον ἀτύχημα τῇ πόλει συμβάν ea calamitas esse videtur, in quam inciderant per Cassium (App. b. c. IV, 64). Pseudoluciani verba (Macr. 21), utrum ad omne tributum an ad partem solam ab Augusto remissam pertineant, parum constat.

Libertatis testes sunt Plinius (n h. V, 92) et nummi (Head, h. n. p. 617 s. f.).

De conventu Tarsensi, qui vocatur ἐλεύθερον κοινοβούλιον, vide p. 74.

4. Aegaeae.

Liberae vocantur Aegacae a Plinio (n. h. V, 91); nec Strabonis verba (XIV, 5, p. 676): 'Αἰγαῖαι πολίχνιον — εἶτ' Ἀμανίδες πύλαι — εἰς ἃς τελευτᾷ τὸ Ἀμανὸν ὄρος, ὃ τῆς Κιλικίας ὑπέρκειται κατὰ τὸ πρὸς ἕω μέρος, ἀεὶ μὲν ὑπὸ πλειόνων δυναστευόμενον τυράννων, ἐχόντων ἐρύματα· καθ' ἡμᾶς δὲ κατέστη κύριος πάντων ἀνὴρ ἀξιόλογος — Ταρκονδίμοτος' ita interpretanda sunt, ut Aegacas quoque Tarcondimoto subiectas putemus. Aera non semper libertatis initium significari recte monuit Mommsen (St. R. III, 708, a. 1).

5. Mopsus seu Mopsuhestia

'liberum' (Plin. n. h. V, 91). In inscriptionibus (Le Bas-Waddington, voy. arch. III, 1494; Kaibel, Inscr. Gr. Sic. et Ital. 1051) legitur: (Ἀδριανῆς Μοψουεστίας) τῆς ἱερᾶς καὶ ἐλευθέρας καὶ ἀσύλου

καὶ αὐτονόμου (καὶ) φίλης καὶ συμμάχου Ῥωμαίων; uterque titulus in honorem Antonini Pii imperatoris positus est, alter (Kaibel l. l.) anno 140, alter (Le Bas l. l.) incerto anno.

Aera urbis incipiens ab anno 686/68 (Imhoof-Blumer, monnaies grecques (1883) p. 362) cum libertate data seu restituta non cohaeret, id quod recte monuit Mommsen (apud Imhoof-Blumerum l. l.).

6. Anazarbus

'ἐλευθέρα' in nummis (Head, h. n. p. 598/599).

κοινοβούλιον ἐλεύθερον.

In inscriptione Tarsensi (Le Bas-Waddington, voy. arch. III, 1480) et in nummis (Eckhel, D. N. III, 73) Tarsi praedicatur κοινοβούλιον ἐλεύθερον.

Atque Eckhel (l. l.) putavit illud κοινοβούλιον referendum esse ad κοινῇ βουλευομένους (D. Chr. or. 34, p. 41 R.) γερουσίαν, βουλήν, δῆμον Tarsenses. Sed hanc sententiam Waddington (l. l. III, 1176) vanam esse iudicavit; neque ipse intellego, quomodo haec concordia a Dione laudata vocari possit honos et donum Tarso urbi tributum (Le Bas-Waddington III, n. 1480). Recte autem monuit Waddington (l. l. n. 1176) illud κοινοβούλιον idem valere quod κοινά, quae fieri solent inter singulas provinciae urbes (Mommsen, R. G. V³, p. 317 sqq.).

Sed neque Eckhel (l. l.) neque Marquardt (St. V. I², p. 389, a. 12) explicuerunt, cur addita sit vox 'ἐλεύθερον'. Waddington (ad. l. l. n. 1480) putavit illum conventum ideo 'liberum' vocari, quia eis ius esset conveniendi, quandocumque liberet. Mihi quidem magis probatur κοινοβούλιον ἐλεύθερον idem valere quod κοινὸν τῶν ἐλευθέρων πόλεων; nonnullae enim sunt civitates liberae in Cilicia — vix omnes nobis notae sunt — eisque fortasse permissum erat, ut sua praeter provincialia haberent κοινά.

Atque hoc κοινοβούλιον ἐλεύθερον tamquam honos et donum Tarsensibus datum est (Le Bas-Waddington III, n. 1480); nam hac inscriptione celebrari videtur Tarsensibus ius decretum esse, ut intra suos fines conventus ille haberetur.

Syria et Palaestina.

Syria anno 690/64 a Pompeio provincia populi Romani acta est, aliquot partes regibus vel dynastis relictae sunt (Mar-

quardt, St. V. I^2, p. 392/393). Quo tempore singulis dynastis regna adempta sint, videas Marquardtium (l. l. p. 397 sqq.), de Iudaeae rebus p. 405 sqq..

Nonnullas Iudaeae urbes Pompeius liberas esse iussit et Syriae provinciae adiecit (Ios. ant. XIV, 4, 4; bell. I, 7, 7); sed eas nisi a Iudaeorum dominatu non liberatas esse solaque autonomia uti atque propterea in civitatium liberarum numero non habendas esse monui p. 11 a. 1.

1. Antiochia Epidaphnes.

Cn. Pompeius Antiochensibus autonomiam, qua sub regibus antea usi erant, reliquit anno 690/64 (FHG. III, 716: αὐτόνομον τὴν πόλιν εἴασε); C. Caesar eis libertatem anno 707/47 dedit (Ioh. Mal. IX, p. 278).

Libertatis testis est Plinius (n. h. V, 79).

Sicut reges (Str. XVI, 2, p. 750; Ios. ant. XVII, 5, 7), ita Romani magistratus in hac urbe libera sedes suas habebant (Ios. l. l.).

Utrum a Septimio Severo, id quod probabile fit ex Herodiani verbis[1]) (III, 6, 9), an antea Antiochenses libertate spoliati sint, incertum est; ab Aelio Spartiano (v. Car. 1) una cum Byzantio, civitate libera (p. 64), nominatur, cui vetusta iura a Septimio Severo ablata ab eodem restituantur. Haec vetusta iura fortasse libertatis erant.

Antoninus Caracalla Antiochenses colonos fecit salvis tributis (Dig. 50, 15, 8, 5).

2. Seleucia Pieria.

Seleuciam Pompeius anno 690/64 liberam esse iussit (Str. XVI, 2, p. 751), liberam appellat Plinius (n. h. V, 79).

De libertatis testimonio, quod Mommsen (St. R. III, p. 707, a. 3) proposuit, cf. p. 12.

3. Laodicea (ad mare sita).

Antonius Laodiceae, cum a Cassio valde vexata esset (App. b. c. IV, 62), libertatem et immunitatem dedit anno 713/41 (App. b. c. V, 7); liberam eam vocat Plinius (n. h. V, 79).

---

[1]) κώμη δουλεύειν — ἐδόθη, ὥσπερ καὶ Ἀντιόχεια Λαοδικεῦσιν.

Colonia facta est Laodicea Septimii Severi temporibus (Dig. 50, 15, 1, 3 et 8, 3; Head, h. n. p. 660).

4. Sidon.

Sidon urbs iam ante Romanorum aetatem libera erat (Ios. ant. XV, 4, 1); Romani libertatem ei confirmaverunt; nam Antonius, cum omnia oppida, quae erant eis Eleutherum fluvium, Cleopatrae dono daret, Tyrum et Sidonem excepit, quia eas urbes ἐκ προγόνων ἐλευθέρας esse sciebat.

Libertate spoliati sunt anno 734/20 ab Augusto (D. Cass. 54, 7).

De libertatis testimonio, quod Mommsen (St. R. III, p. 707, a. 3) proposuit, cf. p. 12.

Colonia facta videtur ab Antonino Elagabalo (Head, h. n. p. 673).

5. Tyrus.

Tyrii iam ante aetatem Romanam liberi erant (Ios. ant. XV, 4, 1); a Romanis eis pecunia soluta libertas[1]) firmata est (Str. XVI, 2, p. 757); liberi vocantur a Iosepho (l. l.). Anno 734/20 ab Augusto libertate privati sunt (D. Cass. 54, 7); sed postea non solum in libertatem restituti sunt, sed etiam foedus cum eis aut factum aut renovatum est. Nam ab Ulpiano (Dig. 50, 15, 1) Tyrus 'foederis, quod cum Romanis percussit, tenacissima' vocatur. Quocum consentit titulus Puteolis positus (CIL. X, 1601 = Kaibel, Inscr. Gr. Sic. et Ital. 831), quo Tyrus foede[rata] dicitur.

De libertatis testimonio, quod Mommsen (St. R. III, p. 707, a. 3) proposuit, cf. p. 12.

Colonia Romana facta est intra annos 198 et 209 (Dig. l. l.).

6. Ascalo.

Ascalonem liberum oppidum vocat Plinius (n. h. V, 68). Augustus nisi Herodis regis domum, quae erat Ascalone, Salomae non dedit (Ios. ant. XVII, 11, 5; bell. II, 6, 3); urbs ipsa et libera remansisse videtur et — dubium quo tempore — coloniam accepit (p. 14); nam vocatur (Hermes 19, p. 418, l. 2/3): 'κολωνία ἡ πιστὴ καὶ ἐλευθέρα'.

[1]) hoc loco a Strabone libertatem et autonomiam, id quid plus semel facit (p. 3 et 33), confundi docet Iosephi locus (s. l.).

De libertatis testimonio, quod proposuit Mommsen (St. R. III, p. 707, a. 3), cf. p. 12.

7. Gaza.

De Gazae libertate nullum testimonium extat nisi quod Mommsen proposuit (St. R. III, p. 707, a. 3); de ea sententia quid dixerim, videas p. 12.

Colonia vocatur Gaza in inscriptione ponderis (Le Bas-Waddington, voy. arch. III, n. 1904).

Mesopotamia.

Carrhae.

Carrhas post M. Aurelii et L. Veri bellum Parthicum liberas esse iussas Mommsen (R. G. V³, p. 408, a. 1) conclusit ex nummis regum urbiumque Mesopotamiae. Atque cum Mommsenum ipsum consuluissem, unde hoc sibi efficiendum videretur, benigne ille mihi respondit extare nummos Carrharum, qui M. Aurelii et L. Veri imperatorum, non Osroënes regum imaginibus signati essent. Inde Carrhas his temporibus regibus non paruisse elucere; neque tamen, cum illam urbem in mediis regni finibus tum Romanis subiectam fuisse probabile non esset, quicquam restare, nisi ut libera esse censeretur.

[Seleucia Babylonia.

'libera hodie ac sui iuris Macedonumque moris' (Plin. n. h. VI, 122). Neque tamen Seleucia inter liberas civitates, quae vocantur, versatur; nam neque Augusti neque Plinii temporibus unquam a Romanis subacta est, sed tantum ab eorum finibus distabat, ut ne causam quidem habuerit, cur a Romanis libertatem confirmari vellet. Atque haec sententia videtur inesse in verbis Plinii: 'sui iuris', scilicet non eius, quod a populo Romano concessum sit. De vi verborum: 'sui iuris' cf. eiusdem Plinii verba (n. h. VI, 47): 'gens Mardorum fera, sui iuris.]

Cyrene et Creta.

[Cyrene.

Testamento regis Apionis Cyrene Romanis circa annum 658/96 donata est; senatus eius regni civitates liberas esse iussit (Liv. ep. 70; Iul. Obs. 49). Quae libertas qualis fuerit, dubium est; sed cum testamento regis in dicionem populi Romani vene-

rint urbes Cyrenaicae, senatus eis suas leges concessisse nec magistratum ipsis praeposuisse, sed tributum ab eis exegisse videtur (Rossberg, quaest. de rebus Cyrenarum, pr. Rom., diss. Lips., p. 15). Quod si recte statuimus, libertas nihil aliud est nisi quod eidem Romani Pergamenis concesserunt Attalo rege mortuo (p. 2), scilicet ut regio dominatu liberi essent. Postea, cum Romani viderent has urbes sine imperio magistratus ipsis impositi regi nequire, novam inde provinciam fecere (Sall. hist. II, fr. 47).]

Creta, anno 687/67 provincia facta anno 727/27 cum Cyrene coniuncta videtur (Marquardt, St. V. I², p. 460 sqq.). Antonius ex actis Caesaris legem tulit, ne post M. Brutum pro consule provincia esset Creta (Cic. Phil. 2, 97 = D. Cass. 45, 32; 46, 23); quod si omnino effectum est, tamen paulo post ad irritum redactum est (Marquardt, St. V. I², p. 460). Ab Augusto liberae esse iussae sunt post pugnam Actiacam (D. Cass. 51, 2):

1. Cydonia.
2. Lampe (seu Lappa).

Africa.

Africae prima pars anno 608/146 Romanorum facta est; reliquae quo tempore quoque modo accesserint, exposuerunt Wilmanns (CIL. VIII, p. XV) et Mommsen (R. G. V³, p. 626).

In conferendis Africae civitatibus liberis solo fere Plini testimonio niti coacti sumus. Atque cum is urbes intus sitas (cf. n. h. V, 30) secundum alphabeticum ordinem enarraverit, fieri non potest, ut de aliquot oppidorum situ aliquid evincatur. Itaque hoc loco geographica ratione neglecta alphabeticum ordinem servare melius duxi.

Sed priusquam ad singulas res accedamus, de eis verbis, quae Plinius de Africa et Numidia fecit, pauca praemittenda videntur; ille enim Numidiae et Africae gentes enumerat libri V §§ 22—30. De his nuper quaestionem movit Cuntz (de Aug. Plin. geogr. auct., diss. Bonn., p. 40 sqq.).

Atque ille demonstrare conatus Plinium in enarrandis Africae oppidis sibimet ipsi constare mihi quidem hanc sententiam probavit. Plinius enim sex colonias, quindecim oppida civium

Romanorum, triginta oppida libera, quorum omnium numeros §§ 29/30 laudavit, §§ 22—30 ipsa attulit; nam ea quaestio, quae de utraque voce: 'Sigense' oritur, ita solvenda videtur, ut alterum 'Sigense' respecto ordine alphabetico mutetur cum Wilmannsio (CIL. VIII, p. 21) in: 'Tigense', alterum cognominis loco oppido Vagensi apponatur, quod discerni oportebat de altera Vaga, oppido civium Romanorum (§ 29).

Eis quoque oppidis maritimis, quae nominantur § 25 ineunte, universis inde a Lepti usque ad Sabratam libertatem tribuere nos oportet Cuntzum (l. l. p. 41) secutos, id quod ex his solis Plinii verbis ambiguum est.

Aliter iudicandum videtur de Castris Corneliis (§ 29).

Iure Cuntz (p. 41) miratur, quomodo factum sit, ut unum oppidum stipendiarium contra Plinii consuetudinem anteponeretur civitatibus liberis, meliore condicione utentibus, praesertim cum vix cogitari possit unam in tota provincia Africa tum fuisse civitatem stipendiariam. Itaque ea de causa, quod hoc loco civitas requiritur, quae meliore condicione utatur quam liberae, deteriore quam Latinae, pro 'stipendiarium' accipiendum proposuit: 'foederatum'. Quod cum e re palaeographica explanari nequeat, spuriam lectionem Plinii incuria ortam esse conicit.

Haec explicandi ratio haud scio an nimis artificiosa est; accedit, quod in catalogo urbium Hispanarum (Plin. n. h. III, 7), qui solus exemplo esse potest, foederatae civitates liberas subsequuntur. Immo vero mihi ad Mommseni sententiam (St. R. III, 685) accedendum videtur, qui ad verba: 'oppidum stipendiarium unum' subaudiendum censet: 'Latinum', alterum Latini iuris immune iudicat.

De corrigendo nomine: 'Avina' (§ 30) in: 'Avitta' (Cuntz, p. 40, a. 4), de mutando (§ 30). 'Abziritanum' in 'Abbiritanum' (Cuntz, p. 40, a. 5), non habeo quod opponam.

Iam ad singula transeamus.

1. Abbir.

'oppida libera, ex quibus — Abbiritanum[1])' (Plin. n. h. V, 30). In titulo (CIL. VIII, 814 = S 12344) oppidum vocatur: 'municipium Iulium Philippianum Abbir Cellense'; inde efficitur Abbir municipii ius accepisse intra annos 244 et 249.

[1]) v. supra.

2. Accaritanum oppidum.

'oppida libera, ex quibus — Accaritanum' (Plin. n. h. V, 30).

3. Acholla[1]).

Acholla inde ab anno 608/146 libera civitas fuit (Aquillitanorum: CIL. I, 200, l. 79/80); nam anno 643/111, quo lex agraria data est, proxumum bellum Punicum (CIL. I, 200, l. 75) id erat, quo Carthago deleta est. Liberam et immunem Achollam vocat auctor belli Africani (33, 1), liberam Plinius (n. h. V, 30) et Strabo (XVII, 3, p. 831).

4. Aulodes.

Civitas libera fuit Aulodes ante Septimi Severi principatum; nam vocatur (CIL. VIII S. 14355): 'municipium Septimium liberum Aulodes' (cf. pag. 12 sqq.).

5. Aves.

Aves liberum vocatur a Plinio (n. h. V, 25).

6. Avitta.

'oppida libera, ex quibus — Avittense'[2]) (Plin. n. h. V, 30). Fortasse municipium factum est Avitta Hadriani aetate (CIL. VIII, p. 100).

7. Bulla Regia

'liberum oppidum' (Plin. n. h. V, 22).

8. Canopitanum oppidum.

'oppida libera, ex quibus — Canopitanum' (Plin. n. h. V, 30).

9. Cercina

'urbe libera' (Plin. n. h. V, 41).

[Cillium.

In inscriptione coloniae Flaviae Cillii (CIL. VIII, 210; cf. S 11299) erasum est et nomen alterius Augusti et verbum post vocem: 'ornamenta' positum, alterius Augusti 'Licinii' nomen restitutum, post: 'ornamenta' 'liberta' insertum est. Atque Mommsen (ad CIL. l. l.) conicit nomen Licini anno 314 erasum propter bellum inter Constantinum et Licinium exortum, restitutum esse post pacem inter eos redintegratam.

[1]) de variis nominis formis cf. CIL. VIII, p. 11.

[2]) p. 79.

Sed quaerendum videtur, quid sit iudicandum de voce: 'liberta'. Nam primum quidem Mommsen causam non affert, cur in talis belli casu vocem: 'liberta(tis)' eradi oportuerit, deinde mirum est, quid sibi velint verba: 'ornamenta libertatis'; tertium offendimur, quod in tota inscriptione praeter terminos technicos 'DDNN' et 'CV' nihil abbreviatum est nisi vox illa: 'liberta', posita in rasura.

His de causis initio in hac lacuna non 'liberta', sed aliam vocem positam esse censeo; qua erasa alia immixta est, quae ab omni sensu abhorret: 'liberta'.

Iam si hoc ita se habet, ad nostram rem non pertinet haec inscriptio.]

10. Clupea.

Clupea colonia libera[1]) fuisse videtur; nam et libera vocatur a Plinio (n. h. V, 24), qui Augusti aetatis effigiem praebet[2]), et colonia fuisse videtur; nam in inscriptione (CIL. X, 6104), paulo post Caesaris necem posita, 'duovir Clupiae' legitur; quem magistratum tum nisi in coloniis non inveniri haud improbabiliter censuit Mommsen (St. R. III, 794, a. 2; 793, a. 4).

11. Curubis.

Colonia libera fuit Curubis (p. 12 sqq.); nam libera vocatur a Plinio (n. h. V, 24), colonia in titulo (CIL. VIII, 980; cf. 977 quoque).

12. Hadrumetum.

Hadrumetum liberum fuit inde ab anno 608/146 (CIL. I, 200, l. 75, 79/80); liberum vocatur a Plinio (n. h. V, 25). Colonia facta est a Traiano imperatore (CIL. VI, 1687).

13. Hippo Diarrhytus.

Colonia libera fuit Hippo Diarrhytus; nam 'libera' vocatur in nummis (Head, h. n. p. 742), 'colonia Iulia' in titulo (CIL. VIII, 1206).

14. Leptis minor.

Leptin oppidum liberum et immune vocat auctor belli Africani (7, 1), liberum Plinius (n. h. V, 25); e re geographica videri

[1]) p. 12 sqq..
[2]) p. 4 adn. 2.

licet utrumque auctorem de Lepti minore verba facere. Eidem videntur esse Leptitani, qui inter liberos recensentur in inscriptione (CIL. I, 200, l. 75, 79/80); accepit igitur Leptis libertatem anno 608/146.

15. Macomades.

Macomades oppidum liberum vocatur a Plinio (n. h. V, 25), municipium in itinerario Antonini (p. 59 Wess.).

16. Materense
17. Melizitanum } oppida.

'oppida libera, ex quibus — Materense, Melizitanum' (Plin. n. h. V, 30).

18. Neapolis.

'Libera colonia' fuit Neapolis (p. 12 sqq.; 14, a. 2.); nam 'libera' vocatur a Plinio (n. h. V, 24), 'colonia Iulia' in titulo (CIL. VIII, 968).

19. Ruspina.

Rupinam liberam vocat Plinius (n. h. V, 25).

20. Sabrata.

Sabrata libera vocatur a Plinio (n. h. V, 25), colonia in itinerario Antonini (p. 61 Wess.).

21. Salaphitanum oppidum.

'oppida libera, ex quibus — Salaphitanum' (Plin. n. h. V, 30).

22. Tacape.

Tacape oppidum liberum vocatur a Plinio (n. h. V, 25), colonia in itinerario Antonini (p. 59 Wess.).

23. Tagesense oppidum.

'oppida libera, ex quibus — Tagesense' (Plin. n. h. V, 30).

24. Thapsus.

Thapsus inde ab anno 608/146 libera fuit (CIL. I, 200, l. 75, 79/80); liberam eam vocat Plinius (n. h. V, 25).

25. Thena.

liberum oppidum Thenam vocat Plinius (n. h. V, 25).

26. Theudalis.

Theudalis libertatem accepit anno 608/146 (CIL. I, 200, l. 75, 79/80); libera et immunis remansit, quantum nos scimus, usque ad Augusti tempora[1]); nam immunem eam vocat Plinius (n. h. V, 23).

27. Theudense oppidum.

'oppida libera, ex quibus — Theudense' (Plin. n. h. V, 30).

28. Thibursicum Bure.

Thibursicum Bure, si non antea, at certe Septimi Severi aetate liberum fuit; municipii ius accepisse videtur a Septimio Severo eiusque filio (intra annos 198—209); vocatur enim (CIL. VIII, 1427): 'municipium Severianum Antoninianum liberum Thibursicensium Bure'.

29. Thugga.

Thuggam municipium liberum (p. 12 sqq.) fuisse elucet ex titulis (CIL. VIII, 1500 et 1484); municipii ius accepisse videtur a Severo Alexandro imperatore (C. l. l. 1484). Colonia vocatur Thugga in titulo Diocletiani aetate posito (CIL. VIII, S 15516).

30. Thysdrus (seu Tusdrus).

Tusdritanum oppidum liberum vocat Plinius (n. h. V, 30); libertatis testimonium extat in titulo (CIL. XII, 686), quo oppidum vocatur: 'municipium Septimia libera Tysdrus' (cf. p. 12 sqq.).

31. Tigense[2]) oppidum.

32. Tiphica[3]).

33. Tunis.

34. Ulusubburitanum oppidum.

'oppida libera, ex quibus — Tigense[1]), Tiphicense, Tunisense, Ulusubburitanum' (Plin. n. h. V, 30).

---

[1]) p. 4 adn. 2.

[2]) p. 79.

[3]) Tiphicense oppidum idem esse quod Tibicam (CIL. VIII, p 96), haud improbabiliter coniecit Cuntz (l. l. p. 42).

35. Usalis.

Usalis anno 608/146 libertatem accepit (CIL. I, 200, l. 75, 79/80); Augusti tempore[1]) oppidum Latinae condicionis immune[2]) erat (Plin. n. h. V, 29).

36. Utica.

Utica anno 608/146 libera esse iussa est (CIL. I, 200, l. 75, 79/80; App. Pun. 135). A Cicerone (p. Balb. 51) Uticenses inter foederatos recensentur; neque, cum oratione pro Balbo habita praecipue de foederatis populis agatur, Mommseno (St. R. III, 657, a. 3) assentior, qui sola Ciceronis negligentia factum esse censet, ut foederati, non liberi Uticenses dicerentur.

Quid sit illud beneficium legis Iuliae (Caes. b. c. II, 36; auct. b. Afr. 87), dubium est; Mommsen (CIL. I, p. 98; R. G. V^3, p. 646) de Latinitate data cogitat. Quae Wölfflin et Miodonski (ad C. Asin. Pol. de bell. Afr. l. l.) attulerunt, plane spernenda sunt.

Caesar filius eos anno 718/36 cives Romanos fecit (D. Cass. 49, 16; cf. Plin. n. h. V, 24).

37. Vaga.[3])

'oppida libera, ex quibus — Vagense' (Plin. n. h. V, 30). Quale oppidum Vagense postea colonia Septimia (CIL. VIII, 1217) factum sit, dubium est (CIL. VIII, p. 154).

38. Zama.

'oppida libera, ex quibus — Zamense' (Plin. n. h. V, 30). Duo extant oppida nomine Zama; utrum fuerit liberum, nescimus (Mommsen, Hermes 20, p. 145/146).

39. Zella.

Zellam civitatem liberam vocat Strabo (XVII, 3, p. 831).

---

[1]) p. 4 adn. 2.

[2]) p. 79.

[3]) de appositis verbis: 'aliud Sigense' Cuntzo (l. l. p. 40, a. 6) accedo; cf. p. 79.

Index civitatium.

Sententiae controversae.

1. In Marcellini vita Thucydidis (cap. 29/30) ea, quae ex Praxiphane afferuntur, non ad Thucydidem, Olori filium, ut Wilamowitzio (Hermes 12, p. 353 sqq.) placuit, sed ad Thucydidem poetam spectant, qui quartus hoc ipso loco nominatur.
2. Ea verba, quae Aristoteles (de rep. Athen. 13) facit de archontum potestate, ad eam dissensionem referenda sunt, quae est inter Herodotum (V, 71, 3) et Thucydidem (I, 126, 8) de eadem re.
3. Primam secessionem plebis (anno 260/494) non in sacrum, sed in Aventinum montem factam esse veterum scriptorum sententia haud improbabilis est.
4. Hor. carm. II, 6, 7 codicum lectio: 'sit modus lasso maris et viarum' servanda est, Peerlkampii, quem Kiessling sequitur, coniectura, scribentis: 'domus' pro: 'modus', parum probatur.
5. Diocaesareae nummi (Head, h. n. pag. 677) lectio haec est: Π(ιστῆς) Φ(ίλης) C(υμμάχου).

Vita.

Natus sum Ernestus Walterus Henze Berolini, die I mensis Februarii, anno h. s. LXIX, patre Carolo, matre Flora e gente Saling, quos carissimos parentes adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus in schola patris mei, deinde in gymnasio regio Guilelmo Berolinensi, quod adhuc sub auspiciis Kuebleri, v. d., floret, cum vere anni h. s. LXXXVI maturitatis testimonio instructus essem, ad universitatem Berolinensem me contuli, duobus semestribus post ad Bonnensem, unde eodem spatio intermisso Berolinum redii. Philologiae historiaeque veteris studiis imprimis incubui nec reliquas historiae partes linguamque hebraicam neglexi.

Per duodecim semestres me docuerunt viri doctissimi: Budde, Buecheler, Delhorbe, Kamphausen, Kékulé, Klein, Luebbert †, Piumati, Thode, Usener Bonnenses; du Bois-Reymond, Dessau, Diels, Dilthey, Harnack, Hirschfeld, Huebner, Jastrow, Kirchhoff, Kleinert, Lommatzsch, Paulsen, Robert, Rossi, Strack, v. Treitschke, Vahlen, Wattenbach, Weiss, Zeller Berolinenses. Exercitationibus benigne aditum mihi praebuerunt Bonnae proseminarii philologici Buecheler et Luebbert, hebraicis Budde et Kamphausen, Berolini philologicis Diels, historicis Delbrueck, Hirschfeld, Koehler, Mommsen, epigraphicis Hirschfeld, archaeologicis Robert. Seminarii philologici Berolinensis, quod moderabantur Kirchhoff et Vahlen, per bis sex menses sodalis ordinarius fui.

Quos omnes viros optime de me meritos, potissimum eos, qui mihi, ut exercitationibus interessem, permiserunt, grato semper colam animo, maximas vero gratias debeo Koehlero et Hirschfeldio, quo auctore has studiorum primitias suscepi.